

MURRAY  
IBELON  
DO MEST  
O

A  
47  
276


156


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

A 089 Man

G-I-1

1.2  
1.01






A081M011

G-I-1

1.2  
1-31

SEARCHED	INDEXED
SERIALIZED	FILED
Sect:	
A	
47	
276	



FRANC. XAV. MANNHART  
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA  
DOMESTICA  
BONARUM ARTIUM  
AC ERUDITIONIS  
STUDIOSORUM USUI  
INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS  
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS  
ACCOMMODATUM.

TOMULUS IX.  
DE THEOLOGIA SCHOLASTICA,  
DOGMATICA ET HISTORICA.



SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.  
MDCCLXII.

卷之三

卷之三



*LIBER XII.*  
DE  
*THEOLOGIA.*

---

*CAPUT VII.*

*OECONOMIA THEOLOGIÆ  
SCHOLASTICÆ.*

*LXIX.*

**S**cholaſtici titulus olim late vagabatur, erantque ſatis multi, qui cum ſibi vendicarunt, eoque ſunt gloriati. In primis scholaſtici nuncupabantur Discipuli, qui ſcholas frequentabant, atque in illis ſeſe exercebant; unde Disciplina Scholaſtica nomen ſuum derivat. Tum etiam Declamatores, qui in cauſis fictis & otioſis, non in veris litibus verſabantur.

F f 2.

In

In hunc sensum Plinius (k) ait : *Scholaſticus tantum eſt, quo genere hominum nibil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius. nos enim qui in foro, verisque litibus terimur, multum malitia, quamvis nolimus, addiſcimus.* Demum illi, qui sermonis elegantia & nitore præſtabant, ac diverso eruditionis ac disciplinarum genere exculti e ſcholis prodierunt. Ita Cicero in Pisonem : *Homo inquit ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus e Schola.* & D. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtatur *Serapionem ob elegantiam ingenii nomen Scholaſtici meruisse.* Theologia vero, de qua loquor, Scholaſtica dicitur, huncque titulum obtinet jam a quingentis annis non a parergis illis ac phaleris verborum, ſed a methodo, quæ in ſcholis ad tradendam penitus diſcendamque diſciplinam aliquam atque ſcientiam aptiſſima ſolet adhiberi. Conſiſtit autem hæc tum in diſcendi genere conciſo, ſimplici, & aper- to; fateri enim oportet, hoc diſcendi genus amputata omni verborum luxuria ve- ritatem preſſius atque magis dilucide men- tibus noſtris ſe ſe objicere ac iſtillare: tum in explicandi ratione dialećtica, quæ ter- minos clare ac perſpicue exponit; ſubla- ta

ta vocum ambiguitate statum quæstionis aperit, ne animus alio distrahatur; definitiones, divisiones statuit; argumenta in medium producit ad sententiam suam tuendam, & quæ in contrariam partem occurrunt, dissolvit, ne circa rem propositam & probatam dubitatio & anxietas in animo remaneat. *Dialectica enim, inquit S. Basilius, instar muri est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Atque hujus Scholasticæ Theologiæ Oeconomiam jam nunc palam facere constitui, ea quidem brevitate, quam instituti mei ratio postulat, non tamen ita compendiario, ut non præcipuae materiae atque sententiae singulorum, in quos dividuntur, Tractatum ordine suo compareant velut notis quibusdam & characteribus illustratae, tum ut facile a quovis Philosophia non penitus experte intelligi queant, tum ut illi, qui Theologiam Scholasticam nonnisi inutilibus, jejunis, & inanibus qua quæstionibus qua litigiis occupari omnino perperam existimant, clare videant, & quasi manibus palpent, agi sane de rebus sublimibus, gravissimis, utilissimis, & ad salutem maxime necessariis. Quippe ausim dicere, Theologiam Scholasticam, uti traditur, esse vere Evangelicam. Evan-

gelium enim seu novæ Legis Testamen-  
tum potissimum quatuor capita comple-  
titur, videlicet: Mysteria divina, Fidei  
dogmata, præcepta morum, & Sacramen-  
torum doctrinam. Eadem profectio ratio  
est Theologiæ Scholaisticæ. Nam exponit  
in Tractatibus de Deo, de SS. Trinitate,  
de Incarnatione, altissima mysteria di-  
vina: in Tractatibus de fide, de gratia,  
de beatitudine, dogmata fidei: in Tra-  
ctatibus de humanis actibus, de legibus,  
de Jure & Justitia, aliisque virtutibus, de  
peccatis, morum præcepta & disciplinam:  
demum in Tractatibus de Sacrementis in  
genere ac specie doctrinam Sacramento-  
rum, quemadmodum jam nunc videre  
licebit.

## §. I.

*Tractatus de Deo.*

## LXX.

**Q**uemadmodum Ethnici a Jove, falso Nu-  
mine, ita Theologi a Deo vero, uno  
& Trino principium sacræ doctrinæ su-  
munt. Ac primo quidem quum acceden-  
tem ad Deum oportet credere, quia est,  
uti loquitur Apostolus: existentia vero  
Dei

Dei non sit nobis nota per se, seu non innotescat evidenter ex ipsa terminorum convenientia absque omni probatione, diversas ineunt vias ad hanc demonstrandam; pauci quidem *a priori* vel *quasi priori*, ut vocant, sive per prædicatum aliquod Deo intrinsecum *Entis optimi, necessarii, carentis omni imperfectione &c.* sed non satis feliciter ac firmo pede; quoniam Atheus negat suppositum, quod ratio optimi, necessarii, perfectissimi convenire possit alicui enti. Hinc plerique a posteriori seu ex ordinatissima mundi hujus machina, mirabili symmetria & summe provida ejus gubernatione contra Atheos demonstrant, omnino necessarium esse, ut existat Ens quoddam supremum, a quo haec omnia tanquam primo fonte, auctore, ac conditore profiscantur & gubernentur, quod Ens supremum Deum vocant; id quod confirmant ex omnium populorum ac nationum consensu, qui fallere non potest, dicente Aristotele (1): *Nemo omnes, omnes neminem, singuli singulos fallunt.* Quapropter Dei existentia ab homine rationis compote, saltem per longius tempus, sine culpa ignorari haud potest. Nefas enim foret consentire Tullio

(1) *Lib. 10. Ethic.*

lio (m) dicenti: *esse gentes sic immanitate efferas, apud quas nulla sit Deorum suspicio.* Stabilita vero Dei existentia ad finiendam, vel potius explicandam ejus essentiam progrediuntur. Licet enim Anastasius Synaita (n) scite pronunciaverit: *Deus est definitio definitionum, cum omnes definiat, ipse a nemine definiri potest, nihilominus Theologi cum Auctore quæstionum veteris ac novi Testamenti (o) dicamus aliquid ajunt de Dei essentia, quod licet impar sit, tamen ex aliqua ratione convenit iis, quæ deo digna videntur.* Quare hanc aliqui eorum in cumulo omnium perfectionum divinarum sitam esse contendunt, dicente Deo ipso ad Mosen, interrogantem quis esset, aut quod nomen illi? *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel; qui est, misit me ad vos (p).* Contra alii, & forte melius ad Dialecticæ regulas, quæ in omni definitione genus & differentiam requirunt, dei essentiam in una sola perfectione, quæ tamen cæterarum omnium radix est, constituunt, brevissime dicentes: *Deum esse Ens a se.* quibus paucis vocibus comprehendi existimant omnes perfectiones, quas supremum hoc Ens & sibi & aliis communicat.

Dupli-

(m) *Lib. de nat. Deor.* (n) *cap. 2. ὁδηγοῦ.*

(o) *Quæst. 1. (p) Exsd. c. 3.*

Duplicem vero divinarum perfectionum classem distinguunt Theologi, nimirum earum, quas Deo tribuentes aliquid negamus, seu dicimus quid Deus non sit, ut quum Deus appellatur unus, simplex, immensus, infinitus &c. & illarum, quibus aliquid adfirmamus seu dicimus, quid Deus sit, ut quum vocatur Bonus, Sapiens, Justus, Sanctus &c. Inter negantes perfectiones sunt I. *Unitas*, quam qui auferit a Deo, totam sane divinitatem seu summi boni rationem auferre censendus est: *Simplicitas*, quæ omnium quarumcunque deinum partium compositionem excludit. Est enim Deus totum id, quod est: *Ego sum, qui sum.* III. *Infinitas*; quis enim terminos ponet illi, cuius magnitudinis non est finis (q). IV. *Immensitas*, qua ubique prælens est, nec ullis locorum spatiis circumscriptus, dicente Job (r) *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus & latior mari.* V. *Æternitas*, quam perfectionem Tertullianus *Dei censum* appellat. *Quis enim aliis inquit Dei census quam æternitas? quis aliis æternitatis status, quam semper fuisse, & futurum esse*

(q) *Psalm. 144.*

(r) *Cap. II.*

*esse ex prærogativa nullius initii & nullius finis?* VI. *Immutabilitas;* nam ut Augustinus loquitur (s) Deus nunquam novus, nunquam vetus innovat omnia . . . opera mutat, non consilium: & Boetius canit, *immotusque manens dat cuncta moveri.* Inter perfectiones divinas adfirmantes recensentur I. *Omnipotentia,* de qua Callimachus apud Plutarchum (t), *si Deum nosti, scito illum posse omnia facere.* & Tertullianus (u) *Non enim vere Deus est qui quod vult, non potest.* II. *Bonitas:* certe Augustinus (x): *ita proprium inquit est Deo, quod bonus est, ut a quodam compellatus ipse filius Dei, cum audiret, Magister bone . . . responderet: quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi unus Deus.* *Quod quid aliud est dicere, quam si me bonum vis appellare, intellige & Deum.* III. *Providentia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* (y). *quæque in magnis æque ac in parvis est maxima, & ita curat singula, ut omnibus sit intenta.* IV. *Misericordia.* *est enim Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ* (z).

&amp;

(s) *Lib. I. Confess.* (t) *L. I. de placit. Pbilos. c. 4.* (u) *L. I. contra Marcion. c. II.* (x) *In Psalm. 17.* (y) *Sap. 8.* (z) *Psalm. 85.*

& misericordia Dei plena est terra (a). V. Sapientia, cognoscens omnia per altissimas caussas. Non enim, ut S. Dionysius loquitur (b) ex rebus ipsis discens novit eas divina mens, sed ex se ipsa, secundum caussam, omnium scientiam & essentiam præbabet, & ante comprehendit. VI. Veritas, nescia falli & fallere, omnemque in se veritatem complectens: Ego sum via, veritas, & vita. VII. Sanctitas, de qua memoratus Dionysius (c): Sanctitas est, ut more nostro loquar, ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas: talis autem maxime convenit Deo, qui mensura est totius & ipsius sanctitatis. Hinc Psalmista Regius (d) Justus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. VIII. Justitia, est enim Deus remunerator bonorum, & vindex malorum, unicuique reddens secundum opera ejus. Quare S. Dionysius pronunciavit (e): Justitia Dei celebratur ut omnibus ea, quæ meritis cuiusque conveniunt, distribuens, & congruentem naturam & pulchritudinem, & ordinem & dispositionem . . . cuique determinans.

Has

(a) Psalm. 32. (b) De div. Nom. c. 7.

(c) Ibid. c. 12. (d) Psalm. 144. (e) De div. Nom. c. 8.

Has aliasque Dei perfectiones, earumque  
arcana Theologi tum Scripturæ ac Pa-  
trum testimoniis, tum lumine naturæ  
notis argumentis illustrant non solum ad  
commonstrandam Dei magnificentiam, &  
ad ideas summo Deo dignas hominum  
animis implantandas, verum etiam ad  
debellandos tam ethnicorum quam hæ-  
reticorum falsas de divinis perfectionibus  
opiniones, quales nunquam defuerunt.  
Quippe unitatem Dei impugnarunt gen-  
tiles & idolorum cultores, qui Numinum  
turram & polytheismum invexerunt in  
orbem : Valentinus, Marcion, Cerdon,  
Manes, unde Manichæi, Tritheitæ: Sim-  
plicitatem Stoici, Antropomorphitæ, Ma-  
nichæi, & Spinosa. Infinitatem Pagani,  
Sociniani. Immenositatem Valentiniani,  
Gnosti, Manichæi, Waldenses, Soci-  
niani. Immutabilitatem quidam Stoico-  
rum, & Origenistarum. Omnipotentiam  
Marcion, Manichæi, Saturniliani, Her-  
miani, Seleuciani. Bonitatem ac Sancti-  
tatem Luciferiani, Celsus, Calvinus. Pro-  
videntiam Epicurus, Democritus, Gno-  
stici. Gigantes hi fuerunt, & Encelades,  
qui cœlum expugnare, ac Deum ipsum  
e throno essentiæ, ac perfectionum sua-  
rum avita possessione deturbare conaban-  
tur, sed omnes demum fulmine tacti pe-  
rie-

rierunt. Cætera perfectiones hucusque recensitæ, quas Attributa Dei vocant Theologi, re ipsa nec inter se, nec ab essentia divina distingui docent, sed solum formaliter, seu ratione nostra, quamvis eas distinguendi fundamentum præbeat ipsa perfectio summa essentia divinæ, utpote quæ longe pluribꝫ rerum creatarum perfectionibus re ipsa inter se distinctis æquivalet, ita ut nos eas, quum unico conceptu nequeamus, per plures exprimere cogamur.

LXXI.

A Deo ita in se & perfectionibus suis constituto ad ejus intellectum & voluntatem altius rimandam se se transfrunt, quæ duo amplissimum disputacionibus gravissimis campum aperiunt. Et quidem quantum adtinet ad divinum intellectum, perfectissimam in Deo rerum omnium scientiam existere demonstrant, dicente S. Cyrillo (f) *Deum omnia scire docente nullo, ac præ oculis babere nuda & aperta, simulque enumerant quinque illius dotes ac prærogativas, quarum prima est, quod sit simplex; eadem enim in Deo res est cognitio & intellectus, quum nullam compositionem patiatur Ens sim-*

(f) *Lib. ix. Commentar.*

simplicissimum; & quidquid in Deo est,  
 ipse Deus sit. *Altera*, quod nunquam  
 nova sit. nam ab æterno novit Deus,  
 quid facere potest, & quidquid in tem-  
 pore facturus erat. *Tertia*, quod sit ex-  
 pers successionis, quum simplici intuitu  
 omnia comprehendat, non transeundo ab  
 una cognitione ad alteram, nec a noto  
 ad ignotum, quemadmodum imbecilli no-  
 stro intellectui accidere solet. *Quarta*  
 quod nullis indigeat ad quascunque res  
 intelligendas speciebus, quoniam *omnia*  
 teste D. Joanne (g) *in eo vita sunt*, id  
 est, omnium rerum vivas perfectissimas  
 que ideas in se habeat, immo ipse sit viva  
 idea omnium rerum. *Quinta* demum,  
 quod sit certa, infinita, æterna, immu-  
 tabilis, quoniam uti essentia Dei, ita &  
 scientia, quæ eadem cum illa res, nul-  
 lius defectus capax est, nec ullis aut lo-  
 ci, aut temporis, aut vicissitudinis cir-  
 cumscripta limitibus. *Quamvis* autem  
 in Deo, ut dictum est, una sit & sim-  
 plicissima scientia, qua omnia possibilia,  
 præterita, præsentia, futura simul & se-  
 mel ab æterno velut oculo irretorto in-  
 tuetur, humanæ tamen mentis imbecil-  
 itas unius rei simplicissimæ multis diver-  
 sisque vocibus & modis explicandæ, ac  
 per

(g) *Joan. c. I.*

per signa rationis, ut vocant, dividendæ necessitatem Theologis imposuit. Hinc primo quidem eam partiti sunt in *scientiam simplicis intelligentiæ*, qua possibilia, & in *scientiam visionis*, qua absolute futura cognoscit Deus. Quoniam vero alia sunt, quæ sub conditione ac libere futura dicuntur, nec istorum certa scientia Deo negari possit, post Ludovicum Molinam etiam tertia scientiæ divinæ species accessit, scilicet *scientia media*, ideo sic dicta, quoniam hinc aliquid de *scientia simplicis intelligentiæ*, illinc aliquid etiam de *scientia visionis* participat. Hæc *scientia media* magno cum strepitu impugnata, & errorum Pelagii ac Massiliensium accusata, nunquam tamen, etiam post accuratissimum examen Romæ coram Pontificibus institutum, expugnata fuit, sed potius confirmata. Præcipua lis, eaque Thomisticam inter & Societatis scholam in eo versatur, in quo medio res contingentes sub conditione futuras, præcipue liberas, Deus cognoscat. Prior assignat familiare sibi ac famosum *prædeterminans decretum*: Posterior hoc fieri posse negat sine libertatis dispendio, quum illa, quæ Deus decernit ab æterno, quin prævideat, quid creatura libera sit actura, & in quam par-

partem se determinatura sit, necessitate quadam fiant, (& quidem tali, quæ nec impediri nec evitari potest) humanæ libertati oppido fatali. Hinc docet, res tum possibles, tum absolute futuras, tum etiam contingentes sub conditione futuras (de liberis sermo est) a Deo videri absque alio medio in se ipsis, videlicet per scientiam medium, licet absolute futura etiam videat in decreto ad scientiam hanc suo modo consequente: unde etiam scientiam visionis caussam rerum esse negat. Nec enim ideo, quia Deus videt, hoc fit, sed quia hoc fit, ideo Deus videt, quod axioma est S. Anselmi, quo contra Calvini sophisma defenditur libertas.

## LXXII.

Post Dei scientiam probe perpensam, ad voluntatem ejusdem vestigandam progrediuntur Theologi. Esse in Deo voluntatem proprie dictam, qua in res alias tendit eas amore prosequendo, in alias vero aversando illas (amotis tamen procul iis, quæ nostram voluntatem ejusque actiones ut plurimum comitantur & inficiunt, affectionibus v. g. odii, iræ, cupiditatis &c.) quaque circa diversas res liberrime ordinat, disponit, atque decernit:

nit: hanc inquam in Deo esse voluntatem e SS. Literis clare ostendunt contra Abaillardum, Wicleffum, aliosque. An vero ad decernendas actiones hominum liberas dirigatur voluntas divina a scientia visionis, an vero a scientia simplicis intelligentiae ac media, rursum lis est inter scholam Thomisticam, & Societatis: negat enim posterior schola hæc, prius fieri posse absque libertatis eversione, quoniam & scientia visionis est in Deo necessaria secundum systema Thomisticum (utpote causa omnium rerum,) & si hæc nulla præcedente scientia media impedi-ri aut evitari queat, necessario post se trahit actionem humanam. Porro de actibus divinæ voluntatis contingentibus (eadem ratio est de actibus intellectus) an nihil præter Dei voluntatem dicant, & solum per diversum secundum ratio-nem nostram tendendi modum, an per aliquid quod foris adveniat, & compleat illos, explicari debeant, subtilissima est controversia. Non minor est circa Decreta divina, quorum varia considerant Theologi: *absolutum, conditionatum, præ-definitivum, collativum libertatis, per-missivum, applicativum omnipotentiae ad simultaneum concursum, determinativum ad individuum.* Verior esse videtur illo-

rum opinio, qui nullam in his veram signorum aut decretorum successionem admittunt, sed Deum omnia simul & semel unico decreto, etiam virtualiter indivisibili decernere docent. Illud apud omnes in comperto est, in Deo reperiri seriam voluntatem antecedentem omnes homines, etiam post lapsum Adami, salvos faciendi, nec absque gravi in fide errore cum Luthero, Calvino aut Jan senio negari potest, Christum pro omnibus hominibus, etiam infidelibus ac reprobatis fuisse mortuum, quam benevolam Dei voluntatem etiam ad parvulos sine baptismo decedentes communior Doctorum pars extendit, quum secundum D. Augustinum etiam ad parvulos utpote homines, licet paucorum dierum, pertineat illud Apostoli : *Deus omnes homines vult salvos fieri, & Christus mortuus est pro omnibus.* Interim negari haud potest, multos eorum priusquam ad baptismi gratiam perveniant, absque culpa saltem sua excidere cœlesti beatitudine, Deo cursum relinquente caussis, quas vocant, secundis inscrutabili judicio suo. Gravioris momenti quæstiones se se produnt de *Prædestinatione ac Reprobatione*, cauta manu tractandæ. *Prædestinatione* secundum mentem Bellarmini est provi den-

dentia Dei, qua homines ex massa perditionis *misericorditer* electi per media infallibilia ad vitam diriguntur æternam: *Reprobatio* autem secundum Magistrum sententiarum præscientia est iniquitatis quorundam hominum, eorundemque damnationis præparatio. Illam respectu salvandorum, hanc respectu damnandorum in Deo dari ex Scriptura, Patribus & ratione satis colligitur. Pessime utramque descripsérunt *Prædestinatiani*, qui propterea hæretici audiunt, nempe Deum aliquos ita ordinare ad vitam æternam, ut ad bene operandum, alios ita excludere, ut ad malum faciendum necessitatem inferat. Quæ ipsa est Calvini & Novatorum pestilens doctrina. Hic enim in tertio Institutionum libro docet, ante omnem meriti & demeriti prævisionem alios in spem vitæ adoptari, alios adjudicari æternæ morti, & caussam damnationis reprobatur. non ipsorum culpam sive originalem sive propriam esse, sed solam Dei voluntatem absolutam, qua creare illos statuit in eum finem, ut damnentur, quod decretum *horribile* est, ut adpellat ipse Calvinus. Gravis tamen contentio rursus inter Theologos, an prædestination & reprobatio formalis pro priori signo naturæ, ut loquuntur, visionem

meritorum vel demeritorum absolute futurorum requirant: Prædestinationem formalem fieri ante merita absolute prævisa prioritate quadam rationis multi gravesque auctores defendunt: reprobationem vero positivam formalem post demerita absolute prævisa. Ad adultos quod adtinet, prædestinationem eorum secundum consuetum divinæ providentiae ordinem a Deo certis alligari mediis docent, nec ullum absque eo, quod Deus singulari quodam beneficio id revelet, certum esse posse de prædestinatione sua cum Concilio Tridentino firmissime tenent. Ut autem singularis dei favor erga electos rite explicetur, decreta quæ non a scientia media pendent, non satis apta judicant bene multi.

## §. II.

*Tractatus de SS. Trinitate.*

## LXXIII.

**H**is probe in utramque partem discussis trepido quasi pede procedunt Theologi ad Trinitatis mysterium explanandum, probe consciī, quanta hoc in sacrario arcana, quanta mysteria humanum, immo Angelicum intellectum excedentia repe-

reperire sit; idecirco timentes, ne dum  
scrutantur majestatem, opprimantur ab  
ea (h). Hoc in negotio Theologis cer-  
tum est, mysterium Trinitatis sola na-  
turali ratione duce ac magistra demon-  
strari haud posse, contra quam Raymун-  
dus Lullus sensit, qui circa annum 1290.  
in insula Majorca scholam erexit, docuit  
que omnes fidei Catholicæ articulos per  
rationes necessarias & evidentes probari.  
Nihilominus mysterium hoc non est con-  
tra, sed supra rationem naturalem, ita  
ut intellectus humanus suis duntaxat alis  
& viribus ad ejus cognitionem evehi ne-  
queat, dicente Christo (i): *Nemo novit*  
*filiū, nisi Pater, neque Patrem quis no-*  
*vit nisi filius, & cui voluerit filius re-*  
*velare.* Certe illius notitiam vicinorem  
non solum gentiles Philosophi non sunt  
adsecuti, sed nec Judæorum Jurisperiti:  
solis Patriarchis, Prophetis, & Viris qui-  
busdam sanctitate conspicuis in veteri Te-  
stamento apertam hujus mysterii revela-  
tionem concessam fuisse legimus: in No-  
vo autem clare revelatum fuit a Christo  
omnis veritatis Magistro, dum Aposto-  
los conferre jussit baptismum *in nomine*  
*Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (k):

Quam-

(h) Proverb. 25. (i) Matth. XI. (k) Matth. xvi.

Quamvis autem mysterium hoc sit articulus, & fundamentum Christianæ fidei, cuius aperta cognitio atque professio post Evangelium promulgatum ad salutem consequendam necessaria est, non tamen defuerunt magno numero hæretici, qui eam impugnarunt. Quidam tres distinctas realiter Personas negarunt, uti Simon Magus, Valentinus, Montanistæ, Praxeas, Sabellius: alii plures admittendo personas plures quoque Deos admisisse visi sunt, ut Apelles, Apollinaris, Cononitæ: aliqui Verbo divino ac Christo divinitatem eripere conati sunt, ut Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Theodotus, Paulinus Samosatenus, Arius, Photinus, Michael Servetus, Valentinus Gentilis, Sociniani: quidam denique eadem divinitate Spiritum Sanctum exuere tentarunt, ut Sadducæi, Valentinus, Macedonius, Sociniani.

## LXXIV.

Porro quinque maximi momenti, & profundissimæ indaginis dogmata in hoc sacratissimo mysterio, quantum humani intellectus imbecillitas permittit, explananda sibi sumunt Theologi, qualia nimirum e S. Scriptura, e Patribus, atque Conciliis, communique Ecclesiæ consen-

su

su eruta fuerunt longo studio, & multiplici cum hæreticis certamine. Quippe statuunt intra Trinitatis ambitum quinque contineri: *Primo* unam naturam indivisam, communem tribus personis. *Nam secundum* D. Athanasii Symbolum ab universa Ecclesia receptum *& unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda est.* *Secundo* duas Processiones: intelligunt autem Theologi per vocem hanc *Processio* universim productionem, emanationem, seu originem unius ab alio. hac ratione Divinus Filius & Spiritus Sanctus procedunt a Patre, dicente apud Evangelistam (l) ipso Dei Filio: *Ego ex Deo processi, & veni.* & de Spiritu S. Spiritus, qui a Patre procedit (m). Pater autem a nullo procedit; quare nuncupatur in Scripturis Deus a se, & a Scriptoribus Ecclesiasticis principium sine principio, origo, fons totius divinitatis, quia nimirum ab ipso Filius & Spiritus S. procedunt tanquam a principio & origine: ipse vero nullum agnoscit principium, nullam originem. Porro divini Filii processio per intellectum fit, unde Verbum & Sapientia: processio Spiritus S. per voluntatem, unde Charitas & Amor dici-

(l) *Ioan.* 8.(m) *Ioan.* 5.

dicitur. Discrimen vero inter geminam hanc processionem est, quod filii processio vocetur generatio, non item Spiritus Sancti processio: dein quod filius a solo patre, Spiritus S. autem a Patre filioque procedat, quam ob causam Ecclesia in symbolo Constantinopolitano hac voces *Filioque* provide adjecit ob graffantem in Oriente contra processionem Spiritus Sancti a filio errorem. Tertio, tres Personas in una eademque divina substantia realiter distinctas. Quod plures sint, patet ex S. Scriptura, ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* (n). Item: *Venite descendamus & confundamus linguam eorum* (o). His e Scriptura locis Ierulianus Praxeum confutans (p) Interrogo inquit, quomodo unicus & singularis pluraliter loquitur? . . . fallit aut ludit, ut cum unus & solus & singularis esset, numerose loqueretur. Quot autem sint personæ, declarat Evangelista (q): *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S., & hi tres unum sunt.* Quod vero tres personæ istæ re ipsa inter se distinctæ sint, e geminis Scripturæ locis non quidem nude sumtis,

(n) Genes. i. (o) Genes. ix. (p) Cap. 12.

(q) Jean. c. 5.

tis, sed ut explicatis ab Ecclesia, & ita semper intellectis probatur. Nam (r) Christus ut Deus æterna generatione a Patre exivit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Spiritus S. autem non tantum a Patre filioque distinctus, sed etiam aliis & ab utroque missus dicitur: *Ego rogabo Patrem meum,* ait Christus ipse (s), & alium *Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quarto, quatuor *Relationes*, seu *Ordinationes* unius ad alterum. Tales sunt 1. *Paternitas* in Patre respectu filii: 2. *Spiratio activa* in Patre & Filio respectu Spiritus Sancti. 3. *Filiatio in Filio*, & 4. *Spiratio passiva* in Spiritu Sancto respectu Patris & filii. Per primam & tertiam ordinantur & referuntur ad se invicem Pater & Filius, per secundam & quartam Spiritus S. ad Patrem & Filium. Quinto, quinque Notiones seu notas, quibus una persona discernitur ab altera, nempe 1. *innascibilitas* seu *improducibilitas*. 2. *Paternitas*, quæ duæ notiones convenient soli Patri. 3. *Filiatio*, quæ competit soli Filio. 4. *Spiratio activa*, quæ convenit Patri ac Filio tanquam uni *Spiratori*, seu

(r) *Psalm. 2.*(s) *Ioan. 14. & 15.*

seu principio. 5. *Spiratio passiva*, quæ soli tertiae Personæ, Spiritui Sancto tribuitur. Hæc omnia magna subtilitate, multisque quæstionibus diligentissime examinant, atque ad mentem S. Scripturæ, Patrum antiquorum & Conciliorum dogmata huc pertinentia tradunt Theologi, tum ut veterum hæreticorum errores confutent, tum ut novas hæreses iten-tidem pullulantes in radice suffocent, tum ut eadem doctrina, eadem loquela, eademque placita, quæ in nascente Ecclesia recepta ac confirmata fuerunt, in ea usque ad finem seculorum illibata perseverent, quæ doctrinæ integritas & perseverantia una est e notis & characteribus veræ Ecclesiæ,

## §. III.

*Tractatus de Angelis.*

## LXXV.

**P**ost Deum de Angelis tanquam Dei ministris tractant Theologi. Probabilius est, hos primo statim die una cum cœlo Empyreo (Regia supremi Numinis, cœlestium spirituum patria, & Electorum sede hæreditaria) conditos fuisse, suffragante SS. Patrum, Conciliorum, & Fidelium sen-

sensu: non enim decuisse videtur majestatem divinam, ut prius vilissimis hominibus tam augustam domum, qualis est mundus, strueret se suisque ministris Angelis velut sine tecto relictis. Inter Angelos autem (quorum innumerabilis multitudo) primam divisionem statuunt inter bonos & malos, scilicet eos, qui Deo fideles perstiterunt, & ternaque cum ipso beatitudine fruuntur, & illos, qui rebellis facti ad tartara præcipites abiere. Tum vero ipsos bonos & cœlestes Genios in certos ordines distribuunt, nimirum in tres Hierarchias & novem Choros: in prima seu suprema hierarchia Seraphim, Cherubim, & Thronos collocant. In secunda Dominationes, Virtutes, & Potestates. In tertia Principatus, Archangelos & Angelos. Hos ordines Angelorum cum cæteris Patribus agnoscit Antiquissimus illorum S. Dionysius Areopagita (t) asserens, se illos accepisse a Præceptore suo D. Paullo, vel certe Hierotheo. Huic divisioni fundamentum præbuit tum excellentior ipsorum inter se Angelorum natura, tum diversa gratiæ ministeria a Deo ipsis attributa. Existere autem Angelos fide certum est contra Sadducæos. Nam si sacram Scripturam consulamus, inveniemus Ange-

(t) *Lib. de cœl. hierarch.*

Angelos Sodomam evertisse, Lothum ab incendio liberasse, Angelum allocutum esse Agarem: Hominem *paullo minus ab Angelis minoratum esse*, Tobiae itineris ducem se præbuuisse Angelum, dixisse Christum: *Angelos videre faciem Patris sui.* Non minus certum est ex eadem Scriptura, exstisisse ejusmodi homines, quibus adstiebant mali Angeli, ut Energumenos, Præstigiatores. Universim dicuntur Angeli esse *substantiæ intellectuales incorporeæ, ac natura sua immortales.* Nec de his dubitare fas est homini Catholico post Lateranense Concilium, sub Innocentio III. celebratum, atque definiens: (u) *Deus sua omnipotenti virtute, simul initio temporis, utramque de nibilo condidit creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam scilicet & mundanam, quasi communem ex corpore & spiritu constitutam.*

Jam vero inquirunt Theologi in natum Angelorum, ostendantque eos non esse præditos corpore, sed puros spiritus, contra quam opinati sunt Platonici, & quidam ex antiquis Patribus, ætherea aut ex elementis composita iis corpora tribuentibus. Inquirunt etiam sedulo in cognitionem Angelorum, quæ latiss.

latissime patet, non tamen ad secreta cordium se se extendit, quum ex una parte Scriptura horum notitiam soli Deo propriam tribuat, & Christo tanquam indicium & argumentum suæ divinitatis: ex altera quivis alias Angelus & homo suorum actuum dominium habeat, ac jus secreti, ne videlicet arcana cordis sui, actusque liberi queant ab alio inspici, quæ res alias magna foret servitus, & perniciosa humano generi. Nimirum cuiusvis dicere licet: *Secretum meum mibi*; si non Deus pro arbitrio suo ac supremo dominio ejusmodi arcana cuidam Angelo aut homini revelare velit. Porro modum loquendi investigant, quum licet lingua & auribus careant, sacra tamen Scriptura diversis locis Angelos cum Deo, inter se, ac cum hominibus loquentes introducat. Cum Deo loqui dicuntur eofere modo, quo nos, nempe ordinando conceptus & desideria sua ad Deum; cum hominibus vel formando voces in aere, vel commovendo phantasmata, e quibus oriuntur certæ cognitiones: inter se vero (de qua re quomodo fiat, præcipua quæstio est) Angelos loqui docent communiter Theologi per actum voluntatis, quo Angelus loquens vult suos actus notos esse alteri Angelo, qui audiens

diens dicitur: posito autem hoc consen-  
su Deus ut auctor naturæ vel ipse An-  
gelus loquens (si secundum locum sit præ-  
sens) in Angelo audiente producit vel  
excitat species, quæ repræsentant volun-  
tatem seu actum directivum Angeli lo-  
quentis, vel immediate ipsum actum,  
quem loquens Angelus vult manifestare.  
Credunt enim hunc & loquendi & au-  
diendi modum esse idioma dignum natura  
Angelica pure spirituali, esse universale,  
servire ad locutionem liberam & secre-  
tam, esse aptum, ut cum uno vel plu-  
ribus, quantumvis distent, colloquium  
instituatur.

## LXXVI.

Gravior est quæstio de lapsu Angelo-  
rum. D. Augustinus (x) *Deum inquit sic*  
*ordinasse Angelorum & hominum vitam,*  
*ut in ea prius ostenderet, quid posset li-*  
*berum arbitrium, deinde quid posset suæ*  
*gratiæ beneficium.* Unde concludunt  
Theologi 1. Angelos non fuisse creatos  
in beatitudine supernaturali, sed naturali  
tantum. 2. omnes Angelos tam bonos  
quam malos fuisse creatos in gratia ha-  
bituali sanctificante. 3. Angelos bonos vere  
fuisse promeritos suam beatitudinem: ma-  
los

(x) *Lib. de corrept. & grat.*

los vero ea excidisse sua culpa. Viam autem Angelorum (ita vocant Theologi tempus ad merendum vel demerendum Angelis concessum) non admodum diuturnum fuisse satis convenit inter Doctores: quamdiu autem durarit hæc via, oppido discrepant. Verior & expeditior sententia esse videtur, quæ totum negotium sic ait fuisse transactum, ut in primo instanti (per instans autem Angelicum non tam tempus, quam operatio Angeli intelligitur) ut in primo inquam instanti omnes Angeli creati in gratia meruerint beatitudinem supernaturalem; Angeli vero boni aliquamdiu perseverantes in eodem merito denique in secundo instanti adsecuti sint beatitudinem; mali vero dum priores illi meritum continuarent, mox in secundo instanti peccaverint, & deum in tertio damnati fuerint, ac in termino infelici viæ suæ consliterint. Jam vero peccatum Luciferi, rebellium Angelorum velut Ducis supremi, in superbia constituunt plerique Theologorum, cuius superbiaz objectum erat affectatio similitudinis cum Deo, ut insinuat Isaías Propheta (y), *Detraetū est ad inferos superbia tua . . . qui dicebas in corde tuo : in cœlum conscendam, similes ero*

Al-

*Altissimo*, dum scilicet ab aliena gratia penda-re noluit, sed se solo beatus esse voluit, statuendo ex amore inordinato excellentiæ suæ pro fine ultimo beatitudinem naturalem propriis viribus obtinen-dam , & avertendo se a beatitudine supernaturali, cuius consecutionem ut quæreret, præceptum illi erat, sed non nisi ex viribus gratiæ per actus magnæ demissionis & subjectionis, inter quos admodum probabile est , fuisse submissio-nem Christo in carne venturo exhiben-dam. Pœna vero, quæ tantum scelus e-vestigio sequebatur, erat ignis inferni, dicente Scriptura (z). *Discedite a me ma-ledicti in ignem . . . qui paratus est Dia-bolo & Angelis ejus.* Sed qua ratione Angeli mali, utpote Spiritus, ab igne hoc, quem corporeum esse SS. Patres tra-dunt, & ratio suadet, qua inquam ra-tione torqueri possint, res est, quæ ipsa Theologorum ingenia torquet, his ad apprehensionem quandam dæmonibus im-missam, qua crederent se ab igne tor-queri, aliis ad speciem impressam, qua de igne tanquam instrumento iræ divinæ semper cogitare cogerentur, confugien-tibus , rursus aliis per alligationem ad ignem pœnam hanc explicantibus :

præ-

(z) *Mattb.* 20.

præstantissimi Doctores censent, Angelos malos torqueri ab igne inferni, ita ut hic per potentiam, quam obedientialem vocant, elevatus producat qualitatem spiritualem, quæ cum proportione afficiat & cruciet dæmones, uti qualitas urens res corporeas, afficit & cruciat animam corpori unitam.

§. IV.

*Tractatus de Incarnatione.*

LXXVII.

Post divinæ majestatis in Deo uno, & tribus Personis, atque Angelis tanquam ministris ejus reluentis contemplationem merito sequitur *Incarnatio divini Verbi*, illud divinæ sapientiæ ac bonitatis mysterium altissimum, dei erga homines amoris pignus certissimum, salutis humani generis ac totius sp̄i nostræ fons ac fundamentum. Variis ad significandum hoc mysterium vocabulis usi sunt SS. Patres. Hilarius *corporationem*, Augustinus *Mixturam admirabilem*, Nazianzenus cum græcis Patribus *Oeconomiam Verbi*, Damascenus *inhumanationem* appellant. Patres Latini communis-

sime *Incarnationem* vocant, voce derivata e Verbis Evangelistæ (a) *Verbum caro factum est.* Est autem *Incarnatio* ad mentem Ecclesiæ ac SS. Patrum *Unio hypostatica Verbi divini cum natura humana.* vel ut alii loquuntur: *Assumptio naturæ humanae facta a Verbo in unitate personæ.* Illius possibilitas quemadmodum cognosci potest lumine fidei, neutiquam naturali, ita impossibilitas ostendi nequit. Nam si potest natura divina esse una in tribus personis in mysterio Trinitatis, quare non poterit una persona esse in duabus naturis in mysterio Incarnationis? Hanc autem Incarnationem factam esse contra Judæos ostenditur tum ex oraculo Jacobi Patriarchæ (b): *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.* tum ex vaticinio Danieli facto (c): *Septuaginta bebdomades (videlicet anni) abbreviatae sunt &c. ut deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna . . . & post bebdomades sexaginta duas occidetur Christus & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Quæ omnia fuisse ad amissim impleta multis ac manifestis argumentis ostendunt Theologi. *Incarnationis* ita descriptæ terminus

(a) *Jean. i.* (b) *Genes. 49.* (c) *Dan. 9. 9.*

nus est Christus seu *suppositum theandricum*, quo nomine in Ecclesia Catholica intelligitur hypostasis seu persona verbi divini, in duabus naturis divina & humana ita subsistens, ut unica persona divina quum sit, verus tamen Deus & homo existat, non confusione aliqua utriusque naturæ, neque conversione divinitatis in carnem, vel contra; sed assumptione humanitatis in Deum, ut loquitur Symbolum S. Athanasii. Est igitur Christus non metaphorice solum & improprie, ut Sociniani blasphemant, sed vere Deus, ac proprius talis, ejusdem cum Patre divino substantiæ, uti Concilium Nicænum adversus Arium definivit. Idem Christus est verus homo, vero corpore ejusdem cum nostro rationis ac materiæ, non phantastico aut cœlesti, quale affinxerunt illi Simon magus, Appollinaris, aliquique hæretici, veraque anima, quam impie negarunt Ariani, prædictus: Neque humanitas ipsius, priusquam a Verbo assumeretur, jam exstitit, quemadmodum Nestorius & Eutyches somniabant, ille a Synodo Ephesina, hic a Chalcedonensi damnatus. Porro considerant in hoc Incarnationis mysterio Theologi admirabilem illam unionem, quam *bypostaticam* vocant, & communius docent, eam esse modum substantialem re-

liter distinctum ab utroque extremo, scilicet a Verbo Divino, & natura humana, ita ut illud *unionem* solum terminet, non vero in se recipiat, nec ab ea perficiatur aut immutetur: natura vero humana secundum partes tam *essentiales* quam *integrantes* adsumpta fuerit, uti explicat D. Damascenus (d) *Totus me totum assumpsit*, & *totus toti unitus est*. Atque hæc *uniō*, quæ intercedit inter Verbum & humanitatem, non est extrinseca tantum, affectiva, & moralis, qualem docuit Nestorius, sed vere intrinseca & physica; & quidem hypostatica, sive in unitate personæ facta, ex quo deducitur contra hunc ipsum Nestorium, B. Virginem vere dici & esse Deiparam: neque facta est in unitate naturæ, prout Euthyches contendit. Quare Catholici omnes profitentur, duas esse in Christo naturas, quin etiam duos intellectus, duas voluntates, duas operationes, quemadmodum Concilium Generale VI. contra Monothelitas definivit: ex qua naturæ utriusque in eadem hypostasi conjunctione oritur aliqua in Christo idiomatum communicatio, id est, proprietatum seu attributorum divinorum & humanorum mutua prædicatio, ita ut vere dici possit:

Deus

(d) *Lib. 3. c. 2.*

*Deus est homo, homo est Deus: Deus est mortalis, homo est immortalis: Deus est passus, mortuus &c. (intellige in recto loquendo de hoc Deo, de hoc homine, scilicet Christo, quamvis dici nequeat in abstracto: humanitas est divinitas, divinitas est passa, mortua &c.)*

LXXVIII.

Ab explicata Incarnationis possibiliitate, existentia, & modo transferunt se Theologi ad illius necessitatem, caussamque finalem, & meritoriam explanandam. Evidem nullam in Deo necessitatem, nec antecedentem ponendæ Incarnationis agnoscunt, neque ex suppositione mundi creati, uti volebat Lullus, aut elevacionis ad statum supernaturalem, vel etiam redēptionis humanæ. *Stulti sunt, inquit Augustinus, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei liberare hominem, nisi susciperet hominem.* Necessitatem tamen fuisse fatentur, posito quod Deus voluerit non aliter hominem redimere nisi secundum omnem iustitiae rigorem, ac condignam satisfactionem exigere. Nulla enim pura creatura satisfacere potest pro ullo peccato mortali, (an neque pro veniali, in utramque partem discepatur) nec illius remissionem mereri,

quidquid contendant aliqui subtiliter magis quam solide. Hinc S. Leo (e) *necessè fuit inquit, venire e cælo Medicum singularem, quia nulla sanctorum merita pote- rant conditionem illatæ mortis evincere*  
 Hujus autem rei causam petunt Theologi quidam ex gravitate peccati, quod contendunt esse malitiæ simpliciter infinitæ, melius alii partim ex ratione offensæ gravis, a vilissima creatura adversus Deum infinitum commissæ, partim ex satisfactionum nostrarum ac meritorum tenuitate. At quod purus homo nequiit, potuit Deus homo, nimurum condignam pro peccatis humani generis satisfactionem præstare, immo superabundantem per merita sua, quæ valorem habuerunt non solum extrinsecum (uti valor monetæ a voluntate principis pendet) sed intrinsecum, eumque infinitum, a dignitate & sanctitate personæ operantis derivatum. ex quo tamen neutquam sequitur, satisfactiones nostras esse superfluas, ut criminantur hæretici, quia satisfactio Christi, licet condigna & superabundans, ex Dei ordinatione nobis non applicatur, nisi mediante nostra cooperazione secundum illud Apostoli: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea* (f).

Cir.

(e) *Serm. 12. de pass. (f) ad Coloss. I.*

Circa caussam finalem Incarnationis convenient quidem Theologi in eo, quod illius finis & motivum fuerit humani generis reparatio: an autem hoc unicū & adæquatum fuerit, ac ita principale, ut Adamo non peccante Christus non venisset, discrepant inter se scholæ, Scotistis aliisque contendentibus, substantiam incarnationis decretam a Deo necdum præviso peccato, Christumque intentum fuisse tanquam initium viarum suarum, primogenitum omnis creaturæ, & Caput Ecclesiæ: post peccatum vero decretam fuisse solum circumstantiam passibilitatis, seu Christum in carne passibili venturum; contra Thomistis cum longe majori Theologorum parte docentibus, incarnationem fuisse decretam post prævisum peccatum, ita ut ab hoc unico motivo penderet. Et re ipsa huic sententiæ (quæ non vana & inutilis est, ut ignorantes blasphemant, sed divinam erga homines misericordiam vel maxime commendat) satis aperte suffragantur S. Scriptura & Patres. *Venit filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat* (g). S. Augustinus nulla inquit caussa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccato-

(g) *Luc.* 19. & *Matth.* 18.

catores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ caussa (h). S. Irenæus: Si non haberet caro salvari, nequam Verbum caro factum esset (i). Melius convenient Theologi circa caussam meritoriam Incarnationis, ubi docent, unionem hypostaticam cadere non posse sub meritum condignum ullius creaturæ puræ, esseque datam Christo independenter ab omnibus meritis ordine naturæ præcedentibus. Unde rursus Augustinus (k). Quod ejus bonum qualemque præcessit? quid egit antea? quid petivit, ut ad hanc excellentiam perveniret? Nihilominus communior Theologorum docet, Incarnationem cadere potuisse sub meritum de congruo quoad circumstan- tias, immo sic meritos fuisse Progenito- res Christi, maxime B. Virginem, ut Chri- stus tali tempore, ac loco, & ex sua ipsorum gente nasceretur.

## LXXIX.

Progrediuntur ulterius ad prærogativas ac dotes humanitatis Christi explicandas. Prima est *Sanctitas*, ad quam quod ad- tinet, ostendunt naturam humanam Chri- sti formaliter fuisse sanctam per sanctita- tem

(h) *Serm. 9.* (i) *L. 5. contra hereses c. 14.*(k) *L. de tridec. SS. c. 15.*

tem increatam Verbi, quamvis etiam sanctificata fuerit sanctitate creata seu gratia habituali, de priore loquentur SS. Patres, dum Christi humanitatem praedicant divinitate delibutam undamque, non actu tantum & operatione, sed ut D. Nazianzenus inquit (1) totius unctionis præsentia: de altera D. Thomas dum ait: *Fuit etiam in Christo gratia habitualis unionem consequens, sicut splendor solem.* Ex hac autem sanctitate creata perperam infertur, quod Christus qua homo sit filius adoptivus Dei, non naturalis, quum secundum jura adoptivus dici non potest, nisi is, qui qui alienus est ab illo, a quo dicitur adoptatus. Hinc merito Concilium Francofordense Felicem Urgelitanum & Elipandum Toletanum Episcopum loquentes de Christo tanquam de filio dei adoptivo damnavit. Altera prærogativa est *Scientia rerum omnium supernaturalium æque ac naturalium, quam triplicem major Theologorum pars humanitati Christi tribuit: beatam, per se infusam, item acquisitam & experimentalem.* Habuit itaque Christus scientiam beatam seu visionem beatificam, & quidem in primo conceptionis suæ instanti, quum

(1) *Orat. 4. de Theol.*

quum ad eam jus acquisiverit per unionem hypostaticam cum Verbo divino, per quam etiam ut homo fuit filius naturalis Dei, & haeres per Deum, ut loquitur Apostolus. Habuit quoque scientiam infusam per se, qua res creatas non solum in verbo, sed etiam in se ipsis cognovit, quum haec scientia etiam Angelis concedatur, multo magis igitur illi, quem adorant Angeli, & in quo sunt omnes thesauri sapientiae ac scientiae (m). Habuit etiam scientiam acquisitam & experimentalem, quae frequenti actuum exercitio comparatur, quia natura humana, quam Christus adsumpsit, cum nostra communis erat: atque ita intelligunt & explicant Patres illud D. Lucæ (n) *Jesus proficiebat sapientia . . . apud Deum & homines.* Rursus illud Apostoli (o) *Dicit ex iis quæ passus est, obedientiam &c.* Tertia dos & prærogativa humanitatis Christi fuit *impotentia peccandi,* seu *impeccabilitas.* Nam per unionem ad verbum, ait D. Ambrosius (p) *ita deificatam esse voluntatem humanitatis, ut divinæ non posset repugnare.* Et S. Augustinus (q), *Christum non potuisse peccare, dum Christus est, atque ita repugnare*

Chri-

(m) *Ad Coloff. 2.* (n) *cap. 2.* (o) *ad Hebr. 5.*(p) *de Incarn. c. 7.* (q) *In Enchir. c. 36.*

Christo peccatum, sicut repugnat Christo non esse Christum. Hinc quemadmodum hæretici illi, qui Christum omnino peccasse fingunt, summæ ejusdem sanctitati injuriam faciunt, ita minus eidem consulere videntur ii Doctores Theologi, qui tuentur, humanitatem Christi absolute peccare potuisse in sensu composito cum unione hypostatica, vel saltem in sensu diviso. Quarta est *libertas*. de hac fidei dogma est contra Monothelitas, Abailardum, Wicelleffum & alios hæreticos, quod Christus liberum habuerit arbitrium, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum: item oblatus est, quia ipse voluit (r). Et quidem liberum non solum a coactione, ut Jansenius docuit (s) sed etiam a necessitate. Hanc libertatem explicat Doctor Angelicus, dum ait: *Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum.* Et alio in loco adhuc clarius: *poterat enim hoc vel illud facere, & non facere; & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meritum (t).* Difficultas tamen non modica est circa modum, quo libertas Christi circa actus præceptos, maxime circa præceptum moriendi, cum ejus

(r) *Isai. 7. & 33.* (s) *I. 6. de grat. Christ. c. 9.*(t) *hic q. 18. a. 4. ad 3. & q. 26. de verit. a. 6. ad 1.*

eius impeccabilitate concilietur. Ad hanc difficultatem hæserunt multi, velut ad scopulum. Non pauci expedire se conantur facili via, sed non satis secura, negando tale præceptum, vel non rigorolum fuisse dicendo: sed hi difficultatem eludunt potius quam solvunt, nee satisfacere videntur S. Scripturæ, pluribus in locis perfectissimam Christi in morte sua obedientiam æterno Patri exhibitam commendanti. alii alias tentant vias, sed salebrosas: optimam tenere videntur, qui docent insistendo systemati scientiæ mediae, præceptum moriendi Christo impositum non fuisse omnino absolutum, sed suo modo conditionatum, si nimirum Judæi ex obstinata voluntate sua mortem ei inferre vellent: hanc autem voluntatem Christus liberrime absque ulla peccati aut inobedientiæ nota impedire potuisset, manifestando clare Judæis divinitatem suam. Nam si cognovissent ait Apostolus (u) nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. atque ita facere, ut præceptum hoc non transiret in absolutum, nec obligaret in his circumstantiis ad mortem subeundam: quod quum non fecit Christus, nec facturus esse prævideretur, & præceptum obligavit, & simul

Chri-

Christus libere obedivit: licet enim necessitatem habuerit moriendi consequentem ad liberam suam determinationem prævisam, non tamen habuit antecedentem. Atque hanc rationem conciliandi libertatem cum præcepto ipse Christus insinuasse videtur apud Evangelistam (x). Nam idem qui dixit: *hoc mandatum habeo a Patre meo, etiam dixit: potestatem habeo ponendi animam meam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.*

Denique concludunt hunc Tractatum Theologi, ostendendo Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, quæ sententia Catholica est: contraria vero falsa, temeraria, & scandalosa; intellectaque in eo sensu, ac si Christus mortuus esset pro solis prædestinatis, heretica. Mortuus est itaque Servator pro omnibus, etiam pro reprobis, etiam pro interfectoribus suis. Nam ut ait S. Augustinus (y) *confixerunt Salvatorem suum, & fecerunt suum damnatorem: etiam pro infidelibus.* Quippe omnium cura est Deo, ait S. Prosper (z), *& nemo est, quem non aut Evangelica prædicatio, aut testificatio legis, aut ipsa etiam natura conve-*  
*niat,*

(x) *Ioan. 10.* (y) *Resp. 6. ad object. 8. Galorum.* (z) *L. 2. de vocat. gent.*

*nint, sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus: etiam pro parvulis, seu paucorum dierum hominibus, ut vocat S. Prosper, qui absque baptismo moriuntur, nam uti D. Augustinus scribit contra Julianum (a): Unus pro omnibus mortuus: ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est, ac per hoc, quia & pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt.*

## §. V.

*Tractatus de Beatitudine.*

## LXXX.

**P**ost tractatum de Deo & Verbo Dei incarnato merito agunt Theologi de Beatitudine, quoniam solus Deus est bonum illud, quod perfecte beatos nos efficit, & bonum istud, per Christi merita consequi speramus. Graviter hac in re halucinati sunt Ethnici Philosophi, quorum plurimi reliquo veræ beatitudinis fonte rivulos sectati sunt, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, ut Jeremias loquitur. Profecto, si Lactantio credimus (b), „Epicurus „ summum bonum in voluptate animi esse „ cen-

(a) *Lib. I. c. 65.* (b) *Lib. 3. divin. Instit. c. 7.*

„ censem, Aristippus in voluptate corpo-  
„ ris. Calliphon & Dynomachus Cyre-  
„ naici honestatem cum voluptate jun-  
„ xerunt. Diodorus in privatione dolo-  
„ ris summum bonum posuit. Peripa-  
„ tetici autem in bonis animi, & cor-  
„ poris, & fortunæ. Herilli sumnum  
„ bonum est scientia, Zenonis cum na-  
„ tura congruenter vivere. Quorundam  
„ Stoicorum virtutem sequi. Aristoteles  
„ in honestate ac veritate summum bo-  
„ num collocavit. „ Post hos errarunt  
quoque nonnulli hæretici, dum regnum  
cælorum, adeoque beatam vitam futu-  
ram post resurrectionem in voluptatibus  
carnis sitam esse contenderunt, ut de Ce-  
rintho refert Dionysius Alexandrinus. Con-  
tra hos omnes invictè demonstratur, quod  
vera beatitudo in nullo bono creato po-  
sita sit aut esse possit, sed in solo Deo.  
Finiunt autem Theologi cum D. Thoma  
beatitudinem, quod sit summum bonum  
hominis, quo obtento appetitus satiatur  
& quiescit: eamque dividunt in objecti-  
vam & formalem, quarum prior est bo-  
num illud, quod possidentem beatum fa-  
cit, nec est aliud, uti dictum, quam Deus,  
qui finis ultimus est omnis creaturæ in-  
tellectualis: posterior est operatio illa in-  
tellectus aut voluntatis, vel utriusque,  
per

per quam possidetur hoc bonum. Porro alia est beatitudo naturalis seu felicitas, quæ consistit in possessione dei per actus naturales: alia supernaturalis, ad quam sumus elevati, & quæ consistit in perfecta dei possessione per actus supernaturales intellectus & voluntatis. Beatitudinis naturalis possibilitatem impugnarunt Lutherus, deinde Calvinus, & post hos errorem recoxerunt Bajus & Jansenius. Sed possibilem esse ratio & auctoritas probant, quia certum est, Deum non posse hominem condere, nisi ut sit beatus aliqua beatitudine, & aliunde certum est, illam ad quam nunc sumus elevati, esse omnino indebitam, uti definitum est contra Bajum a Pio V. damnante propositionem ejus vigesimam primam.

De beatitudine autem formalis, in quo posita sit, acriter disputant Theologi. Certum est, quod non consistat in aliqua unione physica substantiæ divinae cum substantia animæ, ut docuit Henricus a Gondavo (c) neque in vera & reali transformatione animæ in Deum, & suum principium, quemadmodum voluerunt aliqui contemplativi, quos redarguit Lessius (d). Quando igitur aliqui Patrum dixe-

(c) *Tr. de Beat.* (d) *De summo bono c. 2.*

dixerunt Beatos in Deum transformari, intelligendi sunt de transformatione moralis, qua Beati absorbentur in amore Dei & perfecta conformatio[n]e, cum illius voluntate. Num vero consistat beatitudo formalis in solo actu intellectus per visionem, ut vult S. Thomas, aut in solo actu voluntatis per amorem, ut contra docet Scotus, controversia est, quam bene admodum definire videntur illi, qui utramque sententiam conciliant, & cum Doctore Seraphico Bonaventura, pluribusque aliis eam nec in solo actu intellectus, nec in solo actu voluntatis, sed in utroque, nempe visione intuitiva & amore fruitivo Dei constituunt, quoniam S. Scriptura & Patres modo visioni, modo fruitioni, modo utrique rationem beatitudinis tribuunt. Visioni (e): *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* in quæ verba S. Augustinus (f). Et ipsæ visio est facie ad faciem, quæ summum præmium promittitur justis. Fruitioni (g): *intra in gaudium Domini tui, cui consonat illud ejusdem Augustini (h) ipsa est Beata vita gaudere ad te, de te,* &

(e) Matth. 5. (f) L. 1. de Trinit. c. 13.

(g) Matth. 25. (h) L. 10. Confess. c. 22.

& propter te. Utrique (i) : *Satiabor,*  
*cum apparuerit gloria tua.* & Irenæus (k)  
*Participatio Dei est videre Deum,* &  
*frui benignitate ejus.* Et re ipsa per hos  
*geminos actus intellectus & voluntatis,*  
*scilicet visionem & amorem habetur plena*  
*& perfecta possessio summi boni,* in  
*qua consistit vera beatitudo & felicitas.*  
*ut autem etiam perfecte satiet beatum,*  
*cognosci debet ab eo, quod finem nun-*  
*quam sit habitura.*

## LXXXI.

Verum ut intellectus humanus ad vi-  
 sionem Dei summi boni pervenire possit,  
 lumine gloriæ illum indigere communis-  
 sime docent Theologi contra Beguardos  
 & Beguinias, quorum error (scilicet quod  
 quælibet natura intellectualis in se ipsa  
 naturaliter sit beata, quodque anima non  
 indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad  
 Deum videndum, & eo beate fruendum)  
 damnatus fuit in Concilio Viennensi.  
 Hinc non admittunt Theologi, possibilem  
 esse intellectum creatum, cui visio beata  
 naturaliter debeatur. *Deus enim lucem*  
*inhabitat inaccessibilem* (l). Multo minus  
 favorem hunc oculo corporeo indulgent,  
 quem

(i) *Psalm. 16.* (k) *L. 4. c. 37.* (l) *Ad Ti-*  
*meh. 16.*

quem ne elevari quidem posse docent ad videndum Deum, utpote qui neque color est, neque lux. Sperabat quidem Job, in carne aliquando videre Deum, sed incarnatum. Gravioris momenti quæstiones geminas heic excitant auctores: primam, num ulli hominum in hac etiamnum vita, seu in via ut loquuntur, favor ille videndi Deum concessus, fuerit? hunc non pauci indulgent Moysi, de quo ipse Deus (m) testatur: *At non talis servus meus Moses. . . Os enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuræ Dominum videt.* Item Paullo gentium Doctori, qui de se ipso fatetur (n) quod raptus fuerit in tertium cœlum seu paradysum, sive in corpore sive extra corpus, & arcana ibi verba audiverit, quæ non licet homini loqui. Paradysus autem hic non fuit ille hortus voluptatis, sed cœlum empyreum, Dei & Beatorum sedes. Multi etiam SS. Patrum & Doctorum pro Mose ac Paullo decerant. Verum alii sunt, & forte major Patrum ac Doctorum numerus, qui nemini mortalium in hac vita concessam fuisse contendunt prærogativam visionis, ne ad breve quidem tempus, qua Deum ipsum

(m) *Num. 12.*

(n) *2. ad Corinth. 12.*

ipsum intueri licuerit; probantque hanc legem cunctis hominibus præscriptam e pluribus S. Scripturæ locis: *Non poteris videre faciem meam. non enim videbit me homo & vivet*, dixit Deus Mosi (o). *Quem nullus hominum vidi, nec videre potest*, scilicet in hac vita (p). & Irenæus (q) igitur ait, *neque Moses vidi Deum, nec Elias, nec Ezechiel* (adde Paulum) qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini. Altera quæstio est, an Justorum animæ, corporis solutæ vinculis, si nihil luendum post mortem ipsis supersit, quamprimum & ante ultimum illud ac generale Judicium ad claram Dei visionem admittantur. Occasionem controversiæ primus præbuit Cerinthus seculo primo, auctor fabulæ de regno Christi post universalem Anastasim per mille annos continuando inter commissationes, & nuptiarum voluptates: Papia vero, qui discipulus S. Joannis fuisse dicitur, & Chiliastrarum Antesignanus, amandatis obscenis Cerinthi deliciis in hoc mille annorum regno duntaxat locum dabat licitis corporis voluptatibus. Denique fuerunt, qui etiam lici-

(o) *Exod. 33.* (p) *Ad Tim. b. 6.* (q) *L. 4. contra baref. c. 29.*

licitis corporis voluptatibus exclusis solas animi spirituales castasque delicias admittabant: atque hæc ultima opinio etiam Patrum aliquos, ut Irenæum, Apollinarrem, Tertullianum, Lactantium &c. & aliquando etiam Augustinum patronos natæ est. nam quæstio hæc eo tempore in utramque partem ventilata quidem, nondum tamen ultimo Ecclesiæ judicio decisæ fuit. Theologi nunc sequentia hoc in negotio dogmata ordine quodam proferunt. Primo quidem docent, a beatitudine semperiterna excidere omnes illas animas, quæ in statu peccati gravis nondum expiati ex hac vita migrantes justo dei judicio ad inferni supplicia damnantur, quorum æternitatem definiit contra Origenem Synodus Generalis V. Secundo: Illorum animas, qui in gratia quidem decedunt, nondum tamen pro peccatis in vita commissis plene satisfecerunt, in purgatorii pœnis detineri, donec residuas peccatorum maculas penitus expiarint. Tertio: Illos qui post consummatam a Christo redemptionem omni reatu tam culpæ quam pœnæ vacui e vita migrant, non debere expectare in loco quodam tertio generalem corporum resurrectionem, aut post extremum judicii diem per mille annos cum Christo in terris regnaturos esse, ut Mil-

lenarii voluerunt : sed mox ab obitu ad visionem Dei intuitivam admitti. Quando autem D. Joannes in Apocalypsi mentionem facit regni Iustorum cum Christo per mille annos , loquitur de regno, quod adventum Anti-Christi præcedet, qui multos seducet, donec ipse perdatur.

Hæc autem visio beata non est æqualis respectu omnium , uti post Jovinianum docuit Lutherus ; sed est proportioni meritorum commensurata , dicente Apostolo (r) : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* unde D. Polycarpus , quemadmodum legitur in Actis martyrii , Deum judicem ita alloquitur : *Merita mea doloris æstimatione pensabo : quanto graviora pertulero , tanto majora præmia prensabo.* Disputant autem Theologi inter se , quænam caufsa , quodque inæqualitatis hujus principium sit : num intellectus , magis vel minus perfectus & perspicax ? an vero lumen gloriæ magis vel minus vivax & fulgidum ? num utrumque simul ? pro posteriore parte stat D. Thomas (s) , quem sequuntur plures Theologorum . Nam in tantum , inquit S. Doctor , intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perficie cognoscit , in quantum majori vel minori

(r) 1. Cor. 3.

(s) Hic q. 12. a 7.

*pori lumine perfunditur.* Non solum autem lumen gloriae elevat intellectum ad Deum clare videndum, sed etiam voluntatem ad eum amandum suavissima quadam vi necessitat. hinc a Beatis peccandi potentiam excludunt, docentque Beatos esse impeccabiles contra Origenem cum S. Scriptura, quae pluribus in locis beatitudinem fore perpetuam afferit, nec eandem posse cum ullo peccato consistere. vocatur enim (t) *bæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarcescibilis.* quippe clara visio summi boni necessitat illos ad amorem ex genere suo perfectissimum, ac proinde omnem affectum pravum & peccaminosum vel levissimum excludit. Quamvis vero ad essentiam seu perfectiōnem essentialem beatitudinis ex natura rei non requiratur neque corpus aut perfectio corporis, neque bona externa, neque societas hominum, neque ullus usus aut delectatio sensuum, quamvis visio & amor dei in patria perfecte, uti diximus, beatos satiet; ad hos autem actus neque corpus neque sensus, aliave bona externa sint necessaria: ad beatitudinem tamen accidentalem requirunt communissime Theologi tum integritatem ac perfectiōnem corporis suo tempore rursus assumendi,

di, tum bona quædam exteriora, nimirum possessionem cœli empyrei, societatem & consuetudinem amicorum similiter beatorum, tum obiectamenta sensuum purissima. Quare secundum SS. Patres & maxime Augustinum (v) corpora iustorum in resurrectione erunt integra, & omnis defectus ac deformitatis expertia, simulque vigore virilis ætatis prædita, quem circa trigesimum a nativitate annum unusquisque vel habuit, vel habiturus fuisset, si eousque vixisset, id quod colligunt e verbis Apostoli (x) *Donec occurramus omnes . . . in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* De cœli possessione dicit Christus apud Evangelistam : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Societatem amicorum innuunt ea nomina, quibus Scriptura beatitudinem denotat, vocando *regnum cœlorum, novam civitatem, cœlestem Hierusalem, item convivium.* Obiectamenta sensuum ostendit ratio : Deus enim post hanc vitam non minus est benignus in dando præmio, quam severus & justus in puniendo peccato : sicut ergo in vindictam peccati omnes sensus damnatorum post resurrectionem cruciabuntur, ita par est etiam in

(v) *L. 22. de Civit. Dei. c. 15. Et c.* (x) *Ad Ephes. 4.*

in præmium virtutis omnes sensus beatorum  
oblectari. hinc apud Matthæum (y) dici-  
tur: *Merces vestra copiosa est in cœlis.*  
*Quatuor autem dotes beatorum corpo-*  
*rum adsignantur, nimirum impassibilitas,*  
*subtilitas, agilitas, & claritas, quas plu-*  
*ribus explicant Theologi.*

§. VI.

*Tractatus de actibus humanis.*

LXXXII.

**Q**uum beatitudo supernaturalis in hac  
providentia non gratis a Deo con-  
cedatur homini, sed hic suam quoque  
symbolam per bona opera conferre de-  
beat, hinc transeunt Theologi ad actus  
humanos rite ordinandos. Tendit enim  
homo ad felicitatem non passibus, sed  
actionibus suis, id est, humanis, quas  
generatim triplici modo heic considerant  
iidem Theologi, scilicet ut voluntarias,  
ut liberas, ut honestas. Quippe ad actio-  
nes, ut humanæ sint, seu tales, *quarum*  
*bomo Dominus est* (quemadmodum defi-  
nit S. Thomas) (z) voluntarias & liberas;  
ut autem ad finem ultimum conducant,  
etiam

(y) Cap. 5. (z) I. 2. q. I. 4. II.

etiam honestas esse necessum est. Quantum jam ad primum adtinet, accurate distinguunt inter voluntarium directum & indirectum: inter voluntarium simpliceriter & secundum quid: inter liberum & necessarium. Porro disputant subtiliter, an ad voluntarium indirectum requiratur actus voluntatis, docentque communius nullum requiri, atque ita non repugnare puram omissionem liberam: graviter vero, an concupiscentia & metus tollant voluntarium, quod communissime negant. Quapropter metus per se ac ordinarie non excusat a peccato, quum ejusmodi actus e metu proveniens simpliciter voluntarius sit, utpote elicitus ad majus malum vitandum, nisi tamen sit metus admodum vehemens in rebus humana duntaxat lege preceptis; tunc enim non imputatur ad culpam v. g. quando quis metu mortis omittit sacrum die festo, quum hoc preceptum non obliget cum tanto periculo. Concupiscentia vero tantum abest, ut minuat voluntarium ut potius illud interdum augeat, quando est causa, cur voluntas majori conatu actum eliciat: minuit nihilominus liberum, faciendo, ut minus considerentur rationes, ab eo quod concupiscitur, avertentes. Celebris hec quæstio oritur, an vota,

pro-

promissa, donationes, aliique contractus metu gravi ac injusto initi sint jure naturæ irriti ac nulli? pro utraque parte stat gravis auctoritas tum Theologorum tum Jurisconsultorum. qui negant, eo nituntur fundamento, quod actus isti atque contractus non obstante gravi metu simpliciter voluntarii sint: qui vero affirmant, ejusmodi vota a Deo non acceptari, nec contractibus istis jus naturæ æquissimum adfistere censem, utpote cum maxima difficultate vel damno ex parte voventium & contrahentium & cum gravissima injuria ex parte metum inferentium conjunctis: fatentur tamen prioris sententiae patroni, leges & æquitatem postulare, ut hujusmodi actus per sententiam Judicis irriti ac nulli declarentur. Præterea ad voluntarium vel involuntarium pertinet ignorantia, quam in ignorantiam juris & facti, item in ignorantiam juris positivi & naturalis, demum in ignorantiam vincibilem & invincibilem dividunt Theologi. Circa hanc ultimam acre potissimum cum hæreticis bellum exarsit. Ab ipso nascentis Theologiæ exordio constantissima fuit Doctorum sententia, invincibilem sive juris positivi sive naturalis ignorantiam excusare a peccato, donec Lutherus in aciem processit,

&

& murum hunc suis erroribus obstantem evertere conatus est: idem tentavit Calvinus, idem Jansenius, ut viam sternerent ferreo dogmati suo: *etiam in iis peccare bominem, quæ cavere non potest.* Et aliqua dei mandata esse impossibilia *Justis conantibus.* Mirum sane, qua ratione audeant isti jactare se discipulos Augustini, cuius notum est principium: *Nemo peccat in eo, quod cavere non potest* (a). Non minus post ipsum S. Thomas hanc statuit regulam: *Ignorantia excusat a peccato, nisi quando ipsa ignorantia est peccatum.* Hinc merito Alexander VIII. damnavit propositionem numero secundam: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, bæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formalí.* Aliud sentiunt de ignorantia vincibili sive juris sive facti, utpote quam non excusare a peccato eum, qui ex tali ignorantia operatur, docent Theologi omnes. Tunc enim ignorans advertit, se esse in periculo transgrediendi legem per ignorantiam suam, quam tollere & posset & deberet. Estque hæc ipissima D. Augustini doctrina (b) dicentis; *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus igno-*

(a) L. 3. de lib. arbitr. c. 18. (b) L. 3. de lib. arbitr. c. 19.

*ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Hæc de actibus ut voluntariis; jam de liberis.

## LXXXIII.

Agunt heic Theologi de libero hominis arbitrio, quod a libertate & arbitrando ita dictum est, & quamvis secundum etymologiam suam actum quemdam significet, secundum tamen communem usum longuendi liberum arbitrium dicimus id, quod est hujus actus principium, scilicet quo homo libere judicat, uti docet Doctor Angelicus (c). Ad liberum autem arbitrium requiritur in agendo libertas non solum a coactione, seu ut nulla vis externa inferatur, verum etiam a necessitate, saltem ea, quæ actum antecedat. Et hæc libertas a necessitate est libertas illa, quam *indifferentiæ* vocant Theologi, seu *facultas positis omnibus ad agendum requisitis agendi & non agendi*; daturque etiam in homine lapso, estque ad merendum vel demerendum prorsus necessaria, uti contra Lutherum, Calvinum, aliosque errorum magistros ostenditur tum ex Scriptura (d): *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consiliz sui; adjecit mandata, si volueris ea servare,*

(c) I. p. 2. §3. a. 2. (d) Eccles. 15.

*re, conservabunt te.* Tum ex Conciliis, præsertim Tridentino (e) : *si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit:* tum ex Patribus, & ipso Augustino, cuius auctoritatem non nisi pessima fide pro se allegat Jansenius, maxime (f) ubi docet quidem contra Calvinum in utroque statu naturæ integræ ac lapsæ homini convenire libertatem, sed in solo statu priore libertatem indifferentiæ, in posteriore vero, quantum ad virtutes & vitia, solum libertatem a coactione. Sed hanc Jansenii doctrinam tanquam hæreticam damnarunt Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. Certe D. Augustinus, ut alios taceam (g), ait: *Quæcunque ista est causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur . . . quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Pugnat igitur cum libertate necessitas omnis, sive ab extrinseco veniat, quæ cogat invitos, sive ab intrinseco, quæ trahat volentes, sive ea dura sit, ut Calvini, sive blanda & mollis, ut Jansenii & aliorum, quæ relictæ judicij *indifferentia blanditur premendo, & premit blandiendo*, uti placet

(e) *Sess. 6. can. 5.*(f) *L. 6. de grat. Christ. Salvat.*(g) *Lib. 3. de lib. arbitr. c. 18.*

et Vincentio Leni (h). Quidquid autem voluntatis indifferentiam relinquit integrum, nihil nocet libertati. Unde nec omnis coactio libertati nocet: ea nimur, cui resisti potest, nec necessitas consequens, quam ipsa facit libertas. Distinguunt autem Theologi cum Augustino diligentissime duas res in libero arbitrio: prima est illa facultas, quæ e duobus utrumvis eligere potest: altera est conditio facultatis illius, antequam homo peccati ac concupiscentiæ jugo erat subjectus, qualis erat in primo parente in statu naturæ integræ. Prima est ipsa libertas a necessitate, quæ post peccatum remansit; altera est ea felicitas, quæ per peccatum amissa fuit, scilicet libertas a lege peccati & concupiscentiæ, quæ in nobis dominatur, ut ait Apostolus. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (i). Quare graviter hallucinantur Jansenius & ejus Asseclæ circa litem, quæ Augustinum inter & Pelagium exarsit. Ea neutiquam fuit, an non in nobis esset prima facultas seu libertas indifferentiæ; tota dissensio erat circa libertatis conditionem, seu illius integratatem ac vires,

(h) *In sua Theriata l. 1. c. xi.* (i) *ad Rom. 7.*

res, quas Pelagius sanas, & ad salutari-  
ter operandum ex se sufficientes esse con-  
tendebat: contra Augustinus ita fractas  
& debilitatas fuisse ostendit, ut sibi reli-  
ctæ bonum operari non possent, nisi per  
gratiam Christi, quæ sanat, quod est sau-  
cium, & infirma confortat.

Denique hoc in Tractatu agunt Theo-  
logi de actibus humanis ut honestis, at  
que ad omnem actum positive honestum  
requiri docent, ut sit conformis primæ  
regulæ moralitatis seu mensuræ, secun-  
dum quam metiri & judicare oportet no-  
strarum actionum moralium bonitatem  
vel malitiam. Hæc autem regula duplex  
est: objectiva & remota, nimirum lex  
æterna Dei, uti communius defendant  
contra illos, qui in natura rationali qua-  
tali eam constituunt: Formalis & proxi-  
ma, quæ est ipsa ratio humana seu con-  
scientia dictans hanc actionem esse lici-  
tam vel illicitam. Gravis est heic con-  
troversia inter Doctores, an dari possit  
actus indifferens, etiam in individuo ut  
vocant, seu talis, qui nec formaliter ho-  
nestus sit, nec formaliter inhonestus. Pars  
major & senior sententiam affirmantem  
tenet, quum neque ex Scriptura, nec ex  
Patribus, aut ulla alia solida ratione evin-  
ci possit, dari obligationem referendi om-  
nes

nes actiones ad finem positive honestum. Docent igitur isti, aliam esse legem Dei præcipientem, aliam prohibentem, aliam permittentem, atque ita etiam aliquas actiones præceptas, aliquas prohibitas, aliquas demum permissas, quæ si exerceantur solum, uti permissæ sunt, erunt indifferentes, seu nec positive honestæ, nec positive inhonestæ, quemadmodum ambulare, odorari florem, aspicere picturam &c. Et sane, quum similes actiones in humana vita frequentissimæ occurrant, omnes has peccati venialis damnare nimis durum foret. Quapropter illud Pauli (k): *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, consilium esse afferunt, non præceptum. Quod vero omnes actus nostros ex motivo formalis charitatis Dei elicere teneamus, ad Baji & Quesnelli doctrinam damnatam pertinet. Ut autem actio humana sit honesta vel licita, præcedere debet dictamen proximum de honestate illius vel licentia, quod, ut moraliter certum sit, seu tale, quod omnem prudentem formidinem & dubium practicum excludat, sufficit; quum plus justo exigere videantur, qui physicam aut

(k) *In Corinth. 10.*

aut metaphysicam certitudinem requirunt. Ab his Theologi progrediuntur ad conscientiam, penes quam est sententiam ferre de actionum nostrarum bonitate vel malitia, curatius examinandam, eamque distinguunt in veram & erroneam, in laxam & pharisaicam, in certam, tutam, dubiam, probabilem, & scrupulosam. De opinione autem probabili, an eam sequi liceat, postremis hisce seculis atrox sane bellum inter eos exarsit, aliquibus nonnisi tutum, aliis nonnisi probabiliorem sequi oportere, multis contra opinionem vere ac theologicē probabilem sequi licitum esse contendentibus. Rigidioris sententiæ patroni multa Scripturæ, plura SS. Patrum testimonia, integrum Aucto-  
rum exercitum pro sua opinione addu-  
centes conqueruntur per usum opinionis  
probabilis dissipari leges divinas quamplu-  
rimas, viam arctam ad cœlum nimium  
laxari, seduci conscientias minus cautas,  
omnique morum licentiae portam aperiri.  
At posterioris sententiæ patroni, majori  
auctoritate freti, jugum Christi suave ac  
onus leve adductis benignissimi Servato-  
ris exemplis commendant: contra ab ad-  
versariis obligationem gravissimam, quam  
probare nequeunt, conscientiis fidelium  
imponi ostendunt, pleraque argumenta

in ipſos retorquent, ignorantia invinci-  
bili, quæ certo a peccato excusat, fe-  
tuentur in poſſeſſione libertatis, & quum  
poſt tot damnatas a ſumma Sede Apoſto-  
lica alias propoſitiones laxas, poſtque tot  
prælia & conſlictus nunquam & neuti-  
quam damnata fuerit hucusque hæc pro-  
poſitio: *Licitum eſt ſequi ſententiam vere*  
*ac theologicice probabilem, etiam in con-*  
*currenſi tutioris & probabilitioris,* (extra  
Sacramentorum materiam, & ubi non  
agitur de danno proximi) in ſententia  
ſua firmi perſiſtunt, ſibique dictum cre-  
dunt illud D. Bonaventuræ effatum: *Be-*  
*nigna ſententia ſæpe ſalvat dammandum,*  
*rigida ſæpe dammat salvandum.* Duo heic  
ſcopuli vitandi ſunt: ſunt, qui obtrudunt  
tanquam opinioneſ probabiles, quæ pro-  
babiles non ſunt, & hi ſeverius caſti-  
gandi, quam qui pro numis probis adulte-  
rinos in commercium invehunt: ſunt,  
qui omnem, etiam veram juſtamque pro-  
babilitatem tanquam ſpeciem duntaxat  
& umbram veri aspiciunt, abutunturque  
hac voce ad calumnias innocentibus ſtru-  
endas. Nemo enim eorum, quos accuſant,  
ſomniavit unquam, licere ſequi quamlibet  
ſpeciem veri, ſed talem tantamque ſpe-  
ciem, ut prudens rerum aſtimator ea mo-  
veri poſſit ad agendum ſine nota impru-  
dentiæ, nec obſluſtante conſcientia.

## §. VII.

*Tractatus de Legibus.*

## LXXXIV.

**P**ostquam conscientiam & actiones humanae per regulas generales rite ordinarunt, tractandis variis, quibus homines subjacent, legibus se se accingunt Theologi, quantum scilicet ad illorum forum pertinet, aguntque de lege universe, de lege naturali, de Mosaica seu lege veteris, de lege Evangelica seu novi Testamenti, de lege humana tam Civili quam Ecclesiastica. Lex naturalis est ordinatio divinæ voluntatis necessaria, quæ per rectam rationem cognoscitur, & versatur circa ea, quæ agenda quæve omittenda sunt, tanquam in se bona, vel mala. In hac lege naturali communissime docent, Deum proprie dispensare haud posse faciendo, ut absque variatione in ejus materia lex naturalis non obliget, quum facere nequeat, ut quod intrinsece malum est, nulla facta mutatione definat esse malum: posse tamen impropriè dispensare concedunt faciendo mutationem in eorum materia, v.g. dando alicui dominium bonorum aliorum, potestatem in vitam innocentis, uti dedit Israclitis, Abrahamo &c. Quod tamen

tamen intelligendum est de quibusdam legis naturalis præceptis, non de omnibus, quum nulla ratione blasphemia aut odium Dei possit reddi licitum, uti nec mendacium, utpote quæ actiones divinis perfectionibus opponuntur. Lex Veteris Testamenti a Deo condita, & per Mosen promulgata populo Judæorum triplicis generis præcepta continebat, moralia, ceremonialia, judicialia: horum duo ultima fuisse abrogata tenent Catholici omnes contra Cerinthum, Ebionem, & Nazaræos: an autem moralia fuerint abrogata, disputant inter se graves Theologi, quorum una pars asserit, totam legem veterem penitus abrogatam fuisse, ita ut Christiani non obligentur ad servanda præcepta Decalogi, uti tradita sunt in lege veteri, vi hujus legis: sed quatenus renovata sunt in Evangelio, vi legis Novæ; quoniam Christiani sunt, non Judæi, nec Moses obligare illos potest, sed solus Christus. Verum altera pars, quæ legem moralem etiam ut per Mosen datam, & in Veteri Testamento scriptam vere Christianos obligare contendit, nititur Christi testimonio, dicentis, *se non venisse solvere legem, sed adimplere*, id est, interpretando perficere, videlicet removendo corruptelas, quæ per falsas interpretationes illi accesserant. Lex

Evangelica, quæ præcepta morum, Sacra-  
mentorum, & fidei continet, non alium  
habet Auctorem, quam Christum; hinc  
vere lex divina est, & Christus non solum  
Redemptor, sed & Legislator dici debet,  
quod contra apertissima Scripturæ testimo-  
nia negant Lutherus & Calvinus, horum  
que sequaces, quorum impias doctrinas,  
quod præcepta Decalogi a nobis observa-  
ri nequeant, baptismus & alia quædam  
Sacramenta ad salutem non sint absolute  
necessaria, quod sola fides absque operi-  
bus sufficiat ad salutem, has impias in-  
quam doctrinas solidissime refutant Theolo-  
gi. De Lege humana tum Civili tum Ec-  
clesiastica docent, quod sicut bonum  
commune rerum publicarum exigit, ut Re-  
ges, Principes, aliquique Magistratus po-  
litici potestatem habeant ferendi leges  
civiles, quibus eorum subditi non tan-  
tum sub pœna, sed etiam sub culpa ob-  
ligentur, ita similiter bonum commune  
Ecclesiæ requirere, ut Prælati Ecclesiasti-  
ci non solum interpretari latas, sed etiam  
ferre possint novas leges, quibus subditi  
fideles parere etiam sub peccato tenean-  
tur. Atque hanc potestatem re ipsa con-  
cessam illis esse a Christo e sacris Li-  
teris perspicue ostendunt contra Waldenses,  
Wicleffum, Joannem Hus, Lu-  
the-

therum, Anabaptistas & Calvinum, qui libertatem Evangelicam impie doctrinæ suæ prætexentes omni morum corruptiæ, ac legitimis Dominis obedientiam negandi, seditionesque excitandi licentia portam aperuerunt.

§. VIII.

*Tractatus de Peccatis.*

LXXXV.

**Q**uoniam peccatum est illud, quod conscientiam lœdit, leges transgreditur, Deum offendit, atque hominem ab ultimo fine suo avertit, agunt heic de illo Theologi. Est autem peccatum transgressio legis divinæ: & quidem aliud commissionis, quod fit contra legem aliquam prohibentem, aliud omissionis, quo violatur lex aliqua imperans, ut hoc vel illud fiat. Dividunt vero in *actuale*, *habituale*, & *originale*. Ad omne peccatum *actuale* requirunt advertentiam formalem ad malitiam actionis, & consensum voluntatis in illam, dicente Augustino (1) quod proprio vocatur peccatum, *libera voluntate, & a sciente committi.*

De

(1) *L. 3. de lib. arbitr. c. 19.*

De malitia *formali* peccati in quo consistat, non convenient Auctores inter se, Antiquioribus in pura & physica privatione bonitatis ac rectitudinis debitæ, Recentioribus in entitate quadam positiva, videlicet in entitate actus ut libere & cum advertentia ad prohibitionem positi essentiam peccati constituentibus. Porro omne peccatum vel est mortale, sic dictum, quia mortem adfert animæ, separando illam a Deo, qui animæ vita est: vel veniale, quo Deus quidem offenditur, sed non usque ad dissolutionem amicitiae. Prius est, quod legi divinæ graviter præcipienti aut prohibenti, alterum quod leviter obliganti opponitur, quæ tamen obligatio non ita pendet a libertate dei, ut non sint aliqua peccata ex se & ex natura sua levia, atque ita exigant prohiberi solum sub culpa levi. Erravit itaque Jovinianus, qui omnia peccata in gravitate æqualia esse contendit: erravit Michael Bajus, qui docuit, nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum de se mereri pœnam æternam: erravit ac turpiter insanivit Lutherus asseverare ausus, omnia opera hominis etiam justi esse peccata, & quidem ex natura sua mortalia. Cæterum est & aliud discrimen inter mortale

rale ac veniale, nimirum quod prius per accidens fieri possit veniale, deficiente plena libertate; & aliquando etiam ex parvitate materiæ: posterius vero nunquam per accidens mortale fiat, nisi accedat nova species aut circumstantia mortifera. Præterea explicant Theologi, quænam peccata specie differant, quæ solo numero: item quando plures actus peccaminosi physice distincti plura numero, aut unum moraliter peccatum efficiant.

His expediti quæstionibus ad alias magni nominis controversias pergunt. Primo quidem, an peccatum mortale sit malitia simpliciter infinitæ. Graves Auctores affirmantem sententiam sequuntur, hoc nixi fundamento, quod quo major est personæ offendæ dignitas, eo major sit offensa: quum igitur dignitas Dei offensis sit infinita, oportebit etiam offensam esse infinitam. At alii magno numero negantem amplectuntur; concedunt equidem, quod sicut dignitas personæ absolute est in supremo ordine seu genere boni, ita etiam sit offensa in supremo ordine mali, sic tamen, ut dignitatem Dei offensis malitia sua non perfecte adæquet, quoniam dignitas personæ offendæ est summa non solum ex genere suo, sed etiam in genere suo: offensa autem peccati mor-

talis licet sit summa ex genere suo, non tamen est summa in genere suo, quum qualibet determinate sumta semper inveniri possit alia major. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum* (m). *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet*, scilicet peccato Pilati (n). Neque inutilis est hæc controversia, ut quidam falso sibi persuadent, quam acutæ tractant Theologi, quum ex ea patet gravitas offensæ Dei, & ingens cuiuslibet peccati mortalis malitia, dignaque ut æterno puniatur supplicio, sive finita aut infinita secundum quid, sive simpliciter infinita dicatur. Altera est controversia circa cauſam peccati. Certum est, solam voluntatem creatam esse cauſam per se atque auctorem peccati. unde blasphemæ est Zwinglii, Lutheri, Calvinii, aliorumque Novatorum doctrina, qui cum Simone Mago, Marcione, Manichæis, Priscillianistis, Seleucianis &c. aut claris verbis Deum auctorem peccati faciunt, aut ea saltē doctrinæ suæ fundamenta ponunt, e quibus error tam impius facile deducitur. Lis est cum Thomistis non paucis (sunt enim ex horum numero aliqui, qui abhorrent a sententia adeo dura) docentibus Deum prædeter-

(m) *¶rem. c. 4.* (n) *¶an. 19.*

determinare ad materiale peccati ; sed contra hos invicte ostenditur, materiale peccati non solam esse entitatem physicam actus peccaminosi , abstrahendo an fiat libere & cum advertentia ad prohibitionem , sed esse aliquid vel realiter identificatum, vel saltem essentialiter conexum cum malitia formali ; quo posito, si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, timendum sane, ne caussa & auctor fieret formalis peccati. Hucusque de peccato actuali. De peccato habituali docent, quolibet peccato contrahi reatum pœnæ & culpæ, quorum uterque, etiam postquam actus peccaminosus physice jam præteriit, in homine *peccatore* remanet : dari proin peccatum habituale, quod nihil aliud est, quam peccatum aliquando commissum, & nondum remissum. Quare merito damnata fuit Baii doctrina, solum reatum pœnæ post peccatum remanentem admittentis.

LXXXVI.

De peccato originis seu *originali* fide certum est, hoc peccatum ab Adamo in posteros, non exemplo tantum & imitatione, ut subdole explicabat Pelagius, sed propagatione transmissum, ac verum & proprio dictum peccatum esse. Nam per

per unius inobedientiam vere, non metaphorice peccatores constituti sunt multi (o). Docuit enim inter alia Pelagius, Adamum e statu integritatis & innocentiae dejectum sibi soli nocuisse, atque peccatum originale solum imitatione quadam in reliquum genus humanum propagari, quatenus quando peccamus, primum parentem imitamur, teste quem male adducit D. Augustino (p). Errorem hunc damnavit Tridentinum his verbis (q): *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus posteris nocuisse asserit, anathema sit.* ait enim Apostolus: *in Adam omnes peccaverunt, in omnes homines mors pertransiit.* Porro fide certum est, peccatum originis distingui ab ipsa concupiscentia, contra quam docuerunt Luthe-rus, Calvinus, & alii. celebris locus est Jacobi Apostoli: *Concupiscentia quum con-ceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* (r). non igitur ipsa peccatum est. non minus D. Paullus ait (s): *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, in quibus tamen certum est, remanere concupiscentiam.* hinc Tridentinum

(o) *Ad Rom. 5.* (p) *Lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 9.* (q) *Sess. 5. in Decreto.* (r) *In Ep. c. 1.* (s) *Ad Rom. 8.*

tinum (t) definit: *in baptizatis manere concupiscentiam, quæ quum ad agonem relicta sit, nocere non valet non consentientibus, simulque declarat, concupiscentiam non esse peccatum, nisi quatenus a peccato est, & ad peccatum inclinat.* Quid vero sit, & qua via propagetur peccatum originale, gravis controversia est: Delirant, qui esse dicunt substantiam imaginem diaboli, aut actualem quandam & pravam cupiditatem. Errant, qui in concupiscentiæ sinu id reponunt; nam hæc, etiam culpa originali jam remissa, *sub medici manibus naturam adbuc cum suo languore confligentem relinquit, ut scire ait Augustinus (u).* Est igitur peccatum originale, quantum ad nos pertinet, ipsummet Adami peccatum præteritum, & moraliter nostrum, & nobis neque remissum, nec condigna satisfactio ne deletum, atque ita moraliter perseverat in nobis; siquidem secundum Augustinum in Adamo omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, *adbuc omnes ille unus fuerunt (x).* Propagatur autem in posteros non ex natura rei, sed ex pacto divino, quo voluntates posteriorum, modo

(t) Sess. 5. can. 5. (u) Lib. de Conf. c. 7.

(x) L. 3. de pecc. mer. &amp; remiss. c. 7.

modo naturali ab ipso descendentium, fuerunt moraliter alligatae voluntati Adæ, tanquam capitis moralis, & in eum vel transfuscæ in ordine ad observantiam vel transgressionem præcepti esum fructus verantis. Neque adeo intellectu difficile hoc est, propter solum parentis peccatum privari posse parvulum bonis sibi indebitis, non minus quam si ipse parvulus peccasset. Verum quomodo peccati originalis labi infecti odio divino digni & iræ filii reddantur, ita ut hac in re peccatum alienum proprio ac personali æquiparetur, hoc profundum, hoc terrore plenum mysterium est, in quo credendo ita sequimur Literam, quæ parvulos necdum natos occidit, ut non deferas mus spiritum qui vivificat, uti præclare dixit Theologorum nonnemo. Atque hinc est, quod de parvulis, qui ad baptismi gratiam non perveniunt, varie sentiantur Patres ac Theologi, varie idem Augustinus. S. Nazianzenus eos assertit *nec frui cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judicio affici* (y). S. Ambrosius dicit, *habituros pœnae immunitatem, sed on regni honorem* (z). S. Augustinus quis, ait, *dubitabit, parvulos non baptizatos*

(y) *Orat. in S. Lavacrum.* (z) *L. de Abraham c. ult.*

zatos in damnatione omnium levissima futuros (a) ? alibi vero (b) fatetur : *cum ventum est ad pœnas parvolorum, magnis mibi crede coarctor angustiis.* Jam autem post Concilium Florentinum ac Innocentium III. qui definiit : pœnam peccati actualis esse cruciatum gehennæ, pœnam vero peccati originalis esse privationem visionis (c), communissime sentiunt Theologi cum D. Thoma & S. Bonaventura : parvulos solius peccati originalis reos puniri quidem pœna damni, seu privari visione beata, non tamen puniri pœna sensus, sed levissima quadam tristitia affici, videntes quod a summo bono intuendo sint exclusi ; quemadmodum nec lætitia carent, quod æterna supplicia feliciter evaserint. & sane, cur rigidiore sententia cum paucis Theologorum insultare velimus calamitati parvolorum, ac divinæ bonitati detrahere?

## LXXXVII.

Ad calcem materiae de peccato originali tractant Theologi de Immaculata conceptione B. Virginis, quam in suo de peccato originali decreto neutiquam comprehendere se declarat S. Synodus Tri-

(a) *L. 5. contra Julian. c. 5.* (b) *Epist. 28. ad Hieronym.* (c) *In cap. Majores.*

Tridentina (d) & Alexander VII. prohibet, „ sententiam *piam* ( scilicet quod „ in primo *jam instanti* Conceptionis „ suæ immunis fuerit ab omni macula „ & labo originali ) quoquo modo, di- „ recte vel indirecte , aut sub quovis „ prætextu , occasione , scripto , voce „ impugnare, „ gravissimis pœnis in eos, qui secus faciant, constitutis. Et vero mirabilem illam prærogativam a primis Ecclesiæ temporibus ad nos transmissam agnoscent Theologi, exceptis si qui sint, paucissimis. Dubium omne tollit universæ Ecclesiæ consensus & cultus, dum festive celebrat Conceptionem B. Virginis ut Sanctam & Immaculatam, quod qua ratione facere posset, si cultus iste, qui sacrificio publico & Canonico exhibetur, de re foret imaginaria aut falsa? Quapropter merito censem Theologi, sententiam *piam*, quamvis nondum definita sit, ad proximum tamen eorum, quæ definitioni Ecclesiæ subjacent, gradum ascendisse. Minus certa & difficilior quæstio est, quam heic movent Theologi, nimirum, an B. Virgo immunis fuerit etiam a debito, ut ajunt, contrahendi peccatum origina- le ? duplex debitum distinguunt, unum *remotum*, quo omnis ille, qui per viam gen-

(d) *Sess.* 5.

generationis naturalis descendit ab Adamo, includendus fuisset eo in pacto, quod Deus cum Adamo iniit circa ipsius posteros, adeoque certo peccasset in Adamo, si non speciali favore ab hoc pacto & debito conditionato peccandi in Adamo fuisset exemptus: atque ab hoc debito remoto Theologi communius non audent absolvere B. Virginem. Debitum autem proximum est obligatio illa, quam habent posteri Adam, ut peccante Parente concipientur in peccato, & cum privatione originalis justitiae, orta ex eo, quod in Adamo peccaverint, seu quod per alligationem voluntatum Adami peccatum fuerit etiam moraliter ipsorum peccatum, Ab hoc debito proximo non eximunt B. Virginem graves Theologi, praesertim antiquiores (eis rei occasio esse poterat, ne illo ipso, quo de B. Virgine a labe peccati originalis eximenda totis viribus certabatur, tempore præjudicium huic certamini fieret petendo quod plus est, scilicet eximendo eam etiam a debito proximo) antiquiores inquam, quamvis & hi doceant, Dei Matrem, licet voluntas ejusdem Adami voluntati fuerit alligata, & ipsa in Adamo peccarit, fuisse tamen in primo instanti animationis suæ a divina gratia præventam & præserva-

tam, ne peccato illo inficeretur: ex quo simul patet, aliud esse B. Virginem peccasse in Adamo, aliud fuisse conceptam sine macula. At Recentiores Theologi complures etiam ab hoc debito proximo liberam pronunciant Virginem, freti auctoritate D. Thomæ dicentis (e): *Omnes peccaverunt in Adam excepta D. Virgine,* quemadmodum in antiquioribus editionibus fuit repertum, & exhibitum Urbano VIII. item S. Alberti M. (f) *Hæc Virgo sola a communi regula illa excipitur: omnes in Adam peccaverunt.* rursus S. Augustini (g) *B. Virgo vicit ex omni parte peccatum.* Nec deiunt rationes huic pietatis sententiæ, inter quas & illa est, quod non satis decens videatur, ut B. Virgo jam destinata Mater Dei & Regina hominum ac Angelorum, atque in primo conceptionis suæ instanti instruenda tum perfectissimo rationis usu, tum aliis donis naturalibus & supernaturalibus longe majoribus, quam ipse Adam aut alia creatura pura, ut inquam B. Virginis voluntas subjiceretur voluntati servi sui, & justitia ejus committeretur alieno minus sapientis, minusque sancti arbitrio. Neque ex hoc

(e) In cap. 5. Epist. ad Rom. (f) Lib. de Laud. Mariae. (g) L. de nat. & grat. c. 36.

hoc immunitatis privilegio sequitur, B. Virginem non fuisse redemptam a Christo: erat enim illius redemptio non quidem *reparativa*, ut vocant Theologi, bene tamen *preservativa* per infinita Filii sui merita, propter quæ ab hoc peccato & universali diluvio exempta fuisse pie creditur.

§. IX.

Tractatus de Gratia.

LXXXVIII.

Per peccatum *originale* lapsus est homo, & per *actualia* peccata ab ultimo fine suo recedit: per gratiam vero Christi reparatum est genus humanum, & per eam ad ultimum finem denuo revertitur. Atque ideo post peccatum Theologi merito tractant de gratia, tanquam de praesenti post fatale vulnus medicina. Præmittunt prius aliqua de triplici statu naturæ, quorum primus est status naturæ puræ, seu solis facultatibus & perfectionibus naturaliter sibi debitibus ornatae, ac originalis peccati expertis, quin tamen ordinetur ad finem supernaturalem per dona supernaturalia: & hunc, licet nunquam existiterit, possibilem esse præcipue contra Bajum & Jansenium ostendunt.

Alter est status naturæ integræ, ultra perfectiones naturaliter debitas donis indebitis cumulatæ, scilicet perfecta subjectione appetitus ad rectam rationem, & rationis ad Deum, exemptione ab infirmitatibus corporis, & elevatione ad supernaturalia; qualia dona fuerunt in primis parentibus ante peccatum. Tertius demum status naturæ lapsæ, quando nimur justitiam originalem & integritatem, quam in primo parente acceperat, eo peccante perdidit. Atque in hoc ultimo statu, in quo versamur, ostendunt Theologi contra Pelagianos & Semipelagianos, gratiam esse necessariam tum ad ea cognoscenda, quorum notitia per se ad salutem conductit, tum ad salutriter operandum & ad graves tentationes superandas, tum denique ad perseverandum in bono, dicente Scriptura (h), *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, scilicet per gratiæ auxilium.* & (i) *sine me, nempe gratia mea, nihil potestis facere.* immo non solum ad consummandam salutem, sed ad ipsum etiam salutis initium sine gratia impotens esse liberum hominis arbitrium contra Massilienses cum S. Prospero demonstrant. Hanc in homine lapsi im-

(h) *Ioan. c. 6.* (i) *&c. 15.*

impotentiam agnovere Patres tum latini  
tum græci ante Augustinum, & post ipsum,  
qui si aliquando gratiam tribuere meritis  
videtur, per gratiam non intellexere in-  
teriorum motionem, sed vocationem ex-  
ternam (quæ potest esse meritorum natu-  
ralium merces) vel gratiam perfectam &  
salutem ipsam, quæ meritis supernatura-  
libus tanquam merces respondet.

Post gratiæ notiones Theologi eam so-  
licite dividunt, potissimum in habitua-  
lem & actualem, in excitantem seu præ-  
venientem & adjuvantem, in operantem  
& cooperantem, in mere sufficientem  
seu inefficacem, & efficacem. Gratiam  
actualem Theologi Recentiores docent con-  
sistere in actibus intellectus & volunta-  
tis, id est, in supernaturalibus & piis  
cognitionibus, quibus *apparet*, *quod late-  
bat*, & in sanctis inspirationibus seu af-  
fectionibus voluntatis, quibus *suave fit*,  
*quod non delectabat*, uti ait S. Augusti-  
nus. Utrumque probant ex S. Scriptu-  
ra, in qua auxilia gratiæ passim vocan-  
tur tum *illuminatio*, *auditio*, *scientia*,  
*disciplina*, tum *suavitas*, *dulcedo*, *conso-  
lacio* &c. Quodsi ex iis quæratur, qua-  
ratione contingat motio gratiæ divinæ,  
explicant hoc fere modo: *Primo* Deus  
e sola sua misericordia absque ullo præ-

cedente merito nostro, saltem stricte tali, producit in mente sine ulla deliberatione cognitionem salubrem circa res cælestes & pertinentes ad salutem. Secundo, producit in anima motum voluntatis quasi primo primum & indeliberatum, quo afficimur ad bonum, nempe simplicem aliquam delectationem & complacentiam, aut displicantiam de malo; & hæc omnia fiunt gratis. Tertio, quod si dein ex nostra libera voluntate hanc sanctam cognitionem & delectationem negligimus, hoc pretiosum par actuum non suo sed nostro vitio infructuosum est, & tunc est gratia pure sufficiens & inefficax: quodsi vero illa sancta cogitatione & affectione excitati & adjuti deliberate ac efficaciter pergimus amare & velle illud bonum, dicimur consentire divinis auxiliis, & tunc illa sunt efficacia, & referunt frumentum illum, aliud trigesimum aliud sexagesimum, aliud centesimum (k) pro nobilitate, fervore, ac efficacia actuum nostrorum. & hanc ajunt esse præmotiōnem illam, qua Deus verissime præmoveret & inclinat corda nostra ad actus salutares, ita tamen, ut voluntas ei possit dissentire, si velit, quemadmodum definit Tridentinum (l).

LXXXIX.

(k) *Math. 13.* (l) *Sess. 6. can. 4.*

## LXXXIX.

His præmissis accingunt se Theologi ad refellendes hæresum circa gratiam exortarum errores, qui sane multiplices fuerunt. Inprimis Pelagius inter alia docuit, non dari gratiam aliam, quam creationis, liberi arbitrii, doctrinæ bibliorum, exhortationum & exemplorum Christi: per adjutorum Dei solum dari facilius posse bonum agere, & malum vitare, non autem simpliciter posse: gratiam, in quocunque demum consisteret, homini propter merita, quibus eam procurare studet, conferri. Semipelagiani, qui partem aliquam errorem Pelagi veluti furtive retinuerunt, contendebant saltem initium salutis ex solis naturæ viribus & libero arbitrio pendere, neque ad illud opus esse gratia: prædicationis gratiam in quibusdam adultis, & baptismi in quibusdam parvulis ante rationis usum morientibus, uti & perseverantiam atque electionem ad gloriam conferri ex meritis, etiam solum conditionate prævisis, nec unquam extituris. Lutherus & Calvinus impie docebant: Naturam humanam ita peccato originali esse corruptam, ut ab ea nihil possit procedere, nisi peccatum: liberum arbitrium in natura lapsa esse extinctum: hominem ex necessitate,

non libere agi vel a concupiscentia ad malum, vel a gratia ad bonum. Bajus ejusque discipuli perversas spargebant doctrinas: liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere: nullam esse Christi gratiam, quæ non per se ipsam efficax foret: nullam esse in hoc rerum statu libertatem, nisi quæ opponitur coactioni. Jansenius denique quinque propositiones famosas vulgavit, ab Innocentio X. & sequentibus aliquot Pontificibus damnatas, inter quas istæ: quod hominibus justis etiam conantibus secundum præsentes vires aliqua dei mandata sint observatu impossibilia, & desit gratia, per quam possibilia fiant: quod in hoc statu homini sufficiat liberus a coactione. Pestilentes Jansenii doctrinas multis novis & æque perniciosis auxerunt ejusdem affeclæ, maxime Quesnellus, e cuius libro Novi Testamenti excerptas centum & unam propositiones, inter quas multæ de gratia, Clemens XI. tanquam hæreticas damnavit. Recensitis autem hisce erroribus opponunt dogmata Catholica; & quidem contra Pelagianos docent, gratiam supernaturalem & theologicam esse necessariam ad salutem, nec solis naturæ viribus eam obtineri posse, aut sub m:ritum hominis  
cada-

cadere, dicente Scriptura: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* (m), scilicet per gratiam; & Apostolo (n) non est volentis nec currentis, sed misserentis Dei. Contra Semipelagianos ostendunt, eandem esse necessariam etiam ad initium justificationis, dicente rursus Scriptura (o) *sine me nihil potestis facere*, & eodem Apostolo (p) qui caput in vobis opus bonum, perficiet. Adversus alios hæreticos stant, gratiam theologicam esse necessariam ad quemlibet omnino actum salutarem seu meritorium vitæ æternæ, uti clare testatur Scriptura (q): *omne datum optimum defusum est, descendens a Patre luminum.* Atque hæc tria dogmata auctoritate Concilii Tridentini confirmant: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit* (r). Ad vitanda vero omnia peccata venialia per longum tempus, aut per totam omnino vitam cum eodem Tridentino (s) requirunt gratiam singularem, seu specialem Dei favorem,

(m) *Ioan. 6.* (n) *ad Rom. 8.* (o) *Ioan. 15.*(p) *ad Philipp. 1.* (q) *Jacobi c. 1.* (r) *Seff. 6. can. 20. & c. 16.* (s) *Seff. 6. c. 23.*

vorem, quali gaudebat R. Virgo. videtur enim moraliter impossibile, ut natura lapsa tot occurrentibus quotidie occasionibus atque temptationibus minutissimas quasque legum divinarum transgressiones tota vita sua aut per longum tempus evitare queat, dicente Apostolo (t) *in multis offendimus omnes.*

Inde transgrediuntur ad gratiam sufficientem, quae est illustratio supernaturalis, & inspiratio seu delectatio indeliberata, a Deo benevole ac liberaliter immissa, cum qua homo salutem suam operari potest: huic si cooperetur, erit simul efficax; si minus, erit inefficax & mere sufficiens. Jam vero ostendunt e S. Scriptura & SS. Patribus (principue Augustino & Thoma) dari omnibus hominibus gratiam sufficientem ad bonum agendum, & ad pœnitentiam, quamdiu vita hæc durat. *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri.* Iustis siquidem, aut justificatis non deest gratia, qua possint in ea perseverare, *quia Deus non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivantur,* ut loquitur S. Augustinus (u) Neque peccatoribus negatur gratia ad salutarem pœnitentiam, quamvis sèpe negentur in pœnam peccatorum præcedentium auxilia

(t) Jacobi c. 3. (u) l. 2. de nat. & grat. c. 26.

lia extraordinaria, sine quibus moraliter quasi est ipsis impossibile, ut resurgent; unde oritur formidabilis ille obsecatorum & obstinatorum status, ut *videntes non videant, & audientes non intelligant* (x). Neque infidelibus omnis gratiae via ad fidem obtainendam est occlusa; quamvis enim sapissime non habeant gratiam proxime sufficientem, habere tamen possunt, si velint, secundum dogma receptissimum: *Facienti quod est in se, Deus non denegat suam gratiam.* Secundo loco contra Calvinistas & Jansenistas probant, dari quoque gratiam pure sufficientem seu inefficacem tum exemplo Corozitarum & Bethsaidarum, quibus exprobavit Christus (y), quod visis signis atque miraculis pœnitentiam non egerint; & Judæorum, quibus (z) dicitur: *Vos semper spiritui sancto resistitis: tum auctoritate Concilii Tridentini docentis* (a): hominem posse Dei gratiam abjicere, ac damnantis eos, qui asserunt liberum arbitrium *nil gratiae cooperari, nec posse eidem resistere, si velit.* Qua vero ratione gratiam sufficientem in tuto collocent, qui ad actus salutares auxilium physique prædeterminans, seu infallibiliter con-

(x) Matth. 13. (y) Matth. 11. (z) Act. 7.  
(a) Seff. 6. c. 5.



connexum cum actu salutari requirunt, viderint ipsi. Si enim auxilium hoc aderit, semper aderit quoque gratia efficax: si deficit, nunquam aderit gratia sufficiens.

## XC.

A gratia sufficiente transeunt Theologi ad efficacem, circa quam maximi momenti lites occurrunt, quæ non solum Scholas Catholicas contra hæreticas armarunt, sed etiam inter se ipsas colliserunt. Lutherani & Calvinistæ ut explicent certitudinem & infallibilitatem gratiæ efficacis, docent Deum per gratiam intrinsece efficacem necessitare humanam voluntatem ad bonum, ita ut hæc eidem resistere nulla ratione queat. Jansenistæ vero efficaciam gratiæ explicant per gratiam victricem, ut vocant: dicunt enim hominem in statu naturæ lapsæ velut in æquilibrio inter bonum & malum, inter delectationem terrenam & cœlestem esse constitutum sic, ut si terrena præponderet, ad peccandum, si cœlestis prævaleat, necessario & infallibiliter ad bonum agendum trahatur. Verum utraque hæc gratiæ efficacia, quoniam liberum arbitrium tollit, ac libertatem indifferentiæ pessumdat, & gratiam vere

vere sufficientem eliminat, S. Scripturæ aperte contraria esse ostenditur, & est a diversis Conciliis, præsertim Tridentino, atque a pluribus summis Pontificibus merito damnata. Schola Thomistica, ut gratiæ efficaciam explicet, docet gratiam esse intrinsece efficacem, ac physice præ-determinantem, seu esse motionem (quam in qualitate non vitali constituunt) qua Deus antecedenter ad omnem præscien-tiam quid creatura esset actura vel non actura, voluntatem humanam movet ad bonum, ita ut infallibiliter & quin pos-sit impediri, post se trahat consensum.

Verum hæc sententia graves patitur ten-tationes (intra limites tamen Scholæ) a multis, qui contendunt, gratiam etiam quæ est efficax, talem esse, ut voluntas ei, antequam efficax fiat, possit resistere ac dissentire, quoniam secundum Tridentinum *liberum arbitrium a Deo motum & excitatum potest dissentire, si velit*; esse autem impossibile, ut voluntas re-sistere ac dissentire queat gratiæ præde-terminanti, utpote quæ impediri ab ho-mine nequit, quin detur, & simul post se infallibiliter trahit consensum: dein transgredienti præceptum impossibilem fieri observantiam præcepti, quia nimi-rum ad observantiam præcepti tanquam actuū

actum salutarem indispensabiliter requiri-  
tur gratia prædeterminans, quæ in so-  
lius Dei potestate est; & tamen hac ca-  
ret, nec pro libitu acquirere potest, qui  
præceptum transgreditur: demum quan-  
docunque voluntas constituitur sub inevita-  
bili ac metaphysica necessitate ad actum,  
cessare libertatem indifferentiæ ad illum;  
quandocunque autem physice prædetermi-  
natur ad aliquem actum, constitui eam sub  
inevitabili ac metaphysica necessitate ad  
illum actum. Scotistica schola ponit effi-  
ciam gratiæ in speciali quadam con-  
gruitate, proportione, ac contemporatio-  
ne auxilii divini cum arbitrio humano,  
seu in decreto condeterminante, ut ad-  
pellant, sive concomitante determinatio-  
nem voluntatis per quandam quasi sym-  
pathiam. Sed hæc sententia easdem fere  
difficultates patitur, quas prior: sive enim  
dicatur gratia prædeterminans, sive con-  
determinans, si essentialiter & absolute  
connexa est cum actu, (uti afferunt ipsi  
Scotisti) & simul impediri ac evitari non  
potest a voluntate humana (uti admittere  
debent, quum immediate post scientiam  
simplicis intelligentiæ ante prævisionem  
determinationis creatæ deus decernat hanc  
gratiam dare) sive inquam dicatur gra-  
tia prædeterminans sive condeterminans,  
liber-

libertas in summum discrimen vocatur. Schola Societatis post Molinam cum plurimis aliis gratiam efficacem docet esse auxilium divinum (seu illustrationem ac inspirationem supernaturalem) collatum in ejusmodi circumstantiis, in quibus per scientiam medium certo & infallibiliter prævidetur, quod effectum suum sit consecuturum. Ex quo patet, in hoc sistmate gratiam non esse intrinsece, sed extrinsece efficacem, quum entitas gratiæ de se non sit conexa cum consensu vel dissensu: interim tamen, si accedat præscientia dei, qua Deus videt, si in his circumstantiis conferatur hoc auxilium, voluntatem non esse dissensuram, licet posset dissentire, & si insuper dependenter ab hac præscientia det hoc auxilium in his circumstantiis, infallibiliter post se trahet consensum & cooperationem creaturæ. Nititur hæc sententia auctoritate D. Augustini (b) dicentis: *etiam si multos vocet Deus, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quando eis vocari aptum est, ut sequantur.* Et paullo post: *nullius enim Deus frustra miseretur: cuius enim miseretur, eum sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Patitur & hæc sententia suam difficultatem;

quam-

(b) *Lib. I. ad simplic. q. 2.*

quamvis enim ex una parte libertatem  
indifferentiae sartam tectamque servet, ar-  
guitur tamen, quod ex altera parte do-  
minum dei absolutissimum, quod habet  
in actus nostros bonos, imminuat: sed  
sententiae hujus patroni respondent, quum  
collatio talis gratiae, cui deus prævidet,  
humanam voluntatem esse consensuram,  
atque ita efficacem fore, sit libera soli  
deo, & in ejus veluti manibus posita,  
huic dominio dei nihil prorsus decadere,  
atque sic salvam esse & libertatem homi-  
nis, & dei dominium, id quod ad con-  
cordiam libertatis cum gratia omnino ne-  
cessarium est. Præter hæc systema aliud  
est quorundam Gallorum & Belgarum,  
qui explicant gratiam efficacem per *præ-*  
*determinationem moralem*, id est, per ta-  
lem gratiam, quæ per se quidem non  
connectitur physice aut metaphysice cum  
consensu, sed moraliter, quin ut ajunt,  
tam apte & suaviter afficit voluntatem,  
ut moraliter impossibile sit, eam hujus-  
modi gratiae dissentire quamvis physice  
ac absolute possit. Verum efficacia gra-  
tiae debet esse tanta, ut metaphysice in-  
fallibile sit, consensum esse fecuturum:  
alias enim deus non haberet medium in-  
fallibile obtinendi consensum per gratiam  
a se collatam; talis autem non est effica-  
cia

cia illa, quam gratiae tribuit hoc sistema: præterquam quod sæpe experiamur, non solum non moraliter impossibile nobis esse, ponere dissensum præsente gratia, sed etiam non raro arduum nobis accidat conjungere consensum, præcipue si vehemens tentatio urgeat, ut patet in Abrahamo filium immolare iusso. Quamvis autem systematum Catholiconrum de gratia hucusque relatorum magna sit discrepantia, & quantumvis inter se pugnant Scholæ gravissimis rationibus Theologicis hinc & illinc adductis, quum tamen nulla in hæc censura hactenus ab Ecclesia sit lata quodlibet illorum absque nota graviore defendi potest.

XCI.

A gratia actuali ad habitualem, & *justificationis* negotium pergunt Theologi. Ponunt autem gratiam habitualem sanctificantem in qualitate aliqua spirituali, supernaturali, quæque physice ac stabiliter inhæreat animæ, tanquam specialis quædam participatio naturæ divinæ; unde hæreticorum quorundam doctrinam, qui gratiam sanctificantem solum in externa remissione peccatorum, aut interna quædam imputatione justitiae Christi constituebant, omnino rejiciunt cum Tridentino,

tino, damnante hanc propositionem. *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur atque illis inbeat, anathema sit (c).* Præterea justificationem peccatoris in hac providentia fieri per gratiam sanctificantem prius descriptam docent cum eodem Tridentino (d), ita ut hæc sit caussa unica & forma intrinseca, quæ justi reddimur; quamvis communius admittant, non repugnare, ut peccatum mortale (de hoc enim sermo est) per condonationem pure extrinsecam remittatur. Gravis heic controversia occurrit inter Doctores, an gratia sanctificans conjungi possit in eodem subjecto cum peccato mortali habituali aut actuali non remisso: qui adfirmant hoc fieri posse, negativo arguento nituntur, quod nulla contradic̄tio hac in re ostendi queat, quo minus peccatum mortale ac gratia sanctificans per absolutam dei potentiam stare possint in eodem subjecto, quemadmodum summus calor & summum frigus in eadem aqua. Qui vero negant, ajunt esse de essentia gratiæ sanctificantis, ut hominem Deo gra-

(c) *Sess. 6. can. II.* (d) *ib. c. 7.*

gratum faciat, sicut unionis hypostaticæ, ut Deum & hominem uniat: esse autem impossibile, ut effectum hunc formalem tribuat subjecto, in quo stat peccatum mortale, quod ex essentia sua hominem reddit deo inimicum, & odio ac abominatione dignum. Ut autem justificatio-  
nis negotium plenius percipiatur, sequen-  
tes ad eam dispositiones requirunt Theo-  
logi, suffragante Scriptura & Patribus:  
Prima est *fides*, quæ vocatur a D. Cle-  
mente Alexandrino *prima ad salutem in-  
clinatio* (e). Secunda *timor*; nam secun-  
dum Augustinum opus est, ut *intret ti-  
mor, per quem veniat charitas*: *timor  
medicamentum, charitas sanitas* (f). Ter-  
tia *spes* quia quod Ambrosii effatum est,  
*nemo potest bene facere pœnitentiam, qui  
non speraverit indulgentiam* (g):  
Quarta *dilectio* saltem inchoata, spem  
naturali ordine consequens. Qui enim  
sperat a Deo *justificationem*, Deum inci-  
pit diligere ut *justitiæ fontem*, ait Tri-  
dentinum (h). Quinta dolor seu *tri-  
stitia illa secundum Deum*, quæ teste Apo-  
stolo (i) *pœnitentiam operatur in salutem  
stabi-*

(e) *L. 2. Rom.* (f) *Tract. 9. in epist. S.  
Joan.* (g) *L. 1. de pœnit. c. 1.* (h) *S. Iff.  
6. c. 7.* (i) *I. Cor. 7.*

*stabilem.* Sexta votum seu desiderium *Sacramento pénitentiae* re ipsa recipiendi. Septima vitæ novæ totiusque legis servandæ propositum. Peccatori enim *projetiendæ* sunt *iniquitates suæ*, ut fiat in eo spiritus novus & cor novum (k). Ex his facile intelligitur, contritionem aut charitatem actualē non esse ipsam formam justificantem, sed ultimam & completam dispositionem ad formam hanc seu gratiam justificantem. Porro mirabiles sane sunt hujus gratiæ effectus, quos produnt Theologi. 1. vera peccatorum remissio. 2. interior hominis pulchritudo. 3. Renovatio hominis, qui per gratiam fit justus, rectus, & sanctus. 4. Amicitia Dei, in quam homo restituitur. 5. Filiatio Dei adoptiva. est enim gratia charitas illa, quam dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus (l). 6. Jus ad hereditatem cœlestem. 7. Vita spiritualis. Nam *mors criminum vita virtutum*, inquit S. Cyprianus.

Gratiam proxime consequitur meritum supernaturale, quod definiunt Theologi esse obsequium Deo exhibitum, ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis: dividuntque in *condignum*, quando scilicet invenitur secundum etiam

(k) *Ezech. 18.* (l) *I. Joan. 3.*

Etiam æstimationem æqualitas inter meritum & præmium; atque in *congruum*, quando non adest ejusmodi æqualitas, sed solum liberalitati dantis munus commensuratur. Requirunt autem ad meritum conditiones aliquas tum ex parte operis, ut meritum sit actus positivus, libertate indifferentiæ, positive honestus & supernaturalis: tum ex parte operariis, videlicet statum viæ, & statum gratiæ. Dari meritum hominis proprie dictum coram Deo, certum est dogma Catholicorum: *Faciet enim Deus unicuique secundum meritum operum suorum* (m). *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet* (n). Unde Concilium Avariscanum II. debetur inquit *merces bonis operibus, si fiant; sed gratia qua non debetur, præcedit, ut fiant* (o). Non minus certum est, quod actus supernaturaliter boni, facti ab homine in statu gratiæ sanctificantis, mereantur beatitudinem æternam de condigno, dicente Scriptura: *meritis nostris reddi vitam æternam tanquam mercedem*, & Augustino (p): *merito justitiae tanquam stipendium respondet vita æterna*. Quamvis vero non sit æqua-

(m) *Eccles.* 16. (n) *I. Cor.* 3. (o) *can.* 18.  
(p) *Epist.* 105.

æqualitas inter meritum seu obsequium hominis secundum se, & inter vitam æternam, est tamen æqualitas, si meritum per gratiam dignificatum consideretur. Nam homo justus seu in gratia constitutus est filius adoptivus Dei; mereri ergo potest suam hæreditatem, quæ debetur operibus dignificatis a statu gratiæ, in quo sunt, & conditione filii. Nec obest, quod Regius Vates dicat (q): *qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Quum enim merita nostra valorem habeant a gratia, quæ gratis & misericorditer datur a Deo, præcipue si sit efficax, recte dicimur coronari seu præmiari in Dei misericordia. Hac tamen in re plus quam par est exigunt illi, qui solos actus charitatis, vel certe illos duntaxat, qui a charitate imperantur, gratiam ac gloriam mereri contendunt, sed absque sufficiente fundamento: neque enim Tridentinum, quod meriti rationem ac naturam dilucide explicat (r), plus requirit, ut homo censeatur vere, id est, de condigno promeruisse vitam æternam, quam ut sit justificatus, seu in gratia constitutus, *ut operetur ex gratia seu virtute, atque ut ejus opera sint in Deo facta: quæ omnia habe-*

(q) *Psalm. 112.* (r) *Seff. 6. c. 16.*

haberi possunt etiam per alios virtutum actus in gratia elicitos, utpote qui non minus sunt obsequium Deo praestitum, quam actus charitatis, aut a charitate imperati. Quin Christus ipse (s) promittit operibus misericordiae vitam æternam, nulla facta charitatis theologicæ mentione. Quamvis autem homo justus gratiæ ac gloriæ augmentum, ipsamque vitam æternam condigne sibi possit mereri, dicente Apostolo (t): *Reposita est mihi corona iustitiae; non tamen potest mereri sibi aut alteri merito condigno aut congruo infallibili gratiam perseverandi aut a peccato resurgendi, quoniam de hoc nulla in Scripturis exstat dei promissio, sed potius contrarium indicatur: Qui stat, videat ne cadat* (u). Denique querunt Theologi, an prima gratia actualis seu prima vocatio, qua excitamus vel ad fidem vel ad dolorem de peccatis, sub meritum cadat? Affirmabant olim Pelagiani & Semipelagiani. his fortiter se opposuit S. Augustinus, & tota Ecclesia Catholica. Et sane res certa est, nos ejusmodi gratiam de condigno mereri non posse. *Non est*, inquit Apostolus (x) volentis, neque currentis,

sed

(s) Matth. 25. (t) 2. Tim. 4. (u) 1. Cor. 10.

(x) ad Rom. 9. Mm 4

540 Cap. VII. Oeconomia

*sed Dei miserentis : & (y) vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Hinc natum est illud inter Theologos celebre ac receptum axioma, quod principium meriti non cadere possit sub meritum. Frustra heic objiciunt Adversarii aliud axioma Theologicum: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Nam a D. Thoma, Bonaventura & aliis axioma istud non admittitur, quod Deus non deneget gratiam facienti, quod est in se, *ex solis naturæ viribus*, sed in sensu, quod facienti quod est in se *ex prima gratia præveniente* non neget ulteriorem gratiam.

§. X.

*Tractatus de virtutibus Theologicis,  
Fide, Spe ac Charitate.*

XCII.

**A** gratia divina, a qua initium, medium & finis nostræ salutis pendet, gradum faciunt Theologi ad actus virtutum, quæ ad salutem consequendam vel necessariæ sunt, vel plurimum conferunt.

Inter

(y) 2. Tim. 1.

Inter istas eminent Fides, Spes & Charitas, quæ virtutes Theologicas adpellamus. Nam ut ait S. Augustinus (z) *Domus Dei*, seu æterna beatitudo, *cre-dendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Est autem virtus Theologica, quæ tanquam objectum suum formale immediate respicit Deum, aut aliquam perfectionem divinam. Fides respicit infinitam Dei sapientiam & veracitatem, Spes potentiam & fidelitatem, Charitas ipsum Deum tanquam summe bonum, & omni amore dignissimum. Harum trium virtutum Theologicarum habitus supernaturales una cum gratia sanctificante homini primo infunduntur; amittuntur contra charitas quidem per quodvis peccatum mortale: fides vero & spes per ea solum peccata, quæ ipsis directe opponuntur. Incipiunt autem tractare hoc in loco Theologi de Fide, quæ inter theologicas virtutes prima est ordine, non dignitate: major enim omnium & nobilior est charitas. Circa fidem diutius ob gravissimas, quæ occurrunt, quæstiones detinent se, atque examinant primo objectum materiale fidei, ad quam pertinere docent omnia illa, quæ a deo sunt

(z) *Serm. 22. de verbis Apostol.*

sunt revelata, possuntque, saltem aliquando, fide divina explicite credi, uti sunt ea objecta, quæ implicite tantum & virtualiter sunt revelata. Unde multi contendunt, hanc propositionem: *Clemens XIII. est verus Pontifex & Christi in terris Vicarius esse de fide divina credibilem, non minus, quam credi potest,* quod hoc vel illud Concilium Oecumenicum fuerit legitimum & infallibile, cuius rei rationem dant, quod universalis propositio: omnis legitime electus in Papam est verus Papa & Christi Vicarus ac Caput Ecclesiæ, sit veritas reve- lata per illa verba Christi: *pasce oves meas: tibi dabo claves: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* non solum Petro, sed in Petro omnibus legitimis successoribus dicta, quum alias male providisset Deus stabili Ecclesiæ suæ regimini. Quare quum omnino certum sit, hunc Clementem XIII. legitime electum esse, utpote quem tota Ecclesia pro legitime electo indubitanter agnoscit, particularis hæc: *Clemens XIII. est verus Pontifex &c.* sub universali contenta, & implicite revelata censemur. Porro statuunt Theologi certas regulas, quæ sunt de fide, deducta etiam

etiam ipsa sit de fide. Cæterum obser-  
vant heic graves Theologi, in Ecclesia  
post Evangelicam legem a Christo insti-  
tutam, & ab Apostolis promulgatam non  
dari novas revelationes, quæ sint simpli-  
citer novæ, sed solum secundum quid,  
nempe per majorem explicationem &  
extensionem revelationis alias factæ, ejus-  
que adapplicationem ad singula, quæ in ea  
continentur. Deus enim a mundo con-  
dito successu temporis multa revelavit  
per Patriarchas, per Prophetas, ac deni-  
que per Apostolos, præcipue vero per  
ipsum Christum *Auctorem & Consumma-  
torem fidei*. quare opus esse non videtur  
novis in Ecclesia revelationibus, quum  
ad servandum depositum fidei sufficiat au-  
toritas & infallibilitas ad explicandas an-  
tiquas revelationes, & interpretandas Scri-  
pturas, quam Deus Ecclesiæ concessit,  
quæ est *columna & firmamentum veri-  
tatis*, simulque habet Spiritus Sancti ad-  
falentiam, qui spiritus & fons est omnis  
veritatis. unde præclare dixit Vincentius  
Lirinensis (a), novas Ecclesiæ definitio-  
nes antiqua dogmata explicare clarius:  
*quod sint eadem gemmæ, sed illis adjicia-  
tur splendor: eadem semina, sed successu  
temporis latentia germina evolvantur.* Ex  
quo

(a) *Lib. contra hæres. novit. c. 17.*

quo simul inferunt, nihil esse de fide, præcise quia Ecclesia dixit, sed quia revelatum est a Deo, cuius revelatio nobis proponitur ab Ecclesia.

Examinant secundo *objecrum formale* fidei, quod firmissimum atque certissimum esse oportet, ut ei secure possit inniti fides nostra. Communius docent Theologi, illud esse tum auctoritatem Dei loquentis, tum revelationem divinam, ita ut neutra seorsim sit adæquatum formale objectum, sed simul. quippe hoc complexum ex auctoritate ac revelatione essentialiter connexum est cum veritate mysterii, quum metaphysice sit impossibile, ut detur revelatio divina de incarnatione, & simul infallibilis auctoritas Dei revelantis, & tamen incarnatio non existat. Constituunt autem Dei auctoritatem in summa ipsius sapientia, & summa veracitate, per quarum primam intelligitur ad sciendum omnia, ut sunt in se, & ad loquendum omnia, ut scit, summe determinatus. Et quis est, qui non adhibeat fidem tantæ auctorati? *Revelatio* autem est locutio Dei seu prolatio signi ordinata ad manifestandam veritatem aliquam: atque hæc locutio Dei alia est interna: *loquar ad cor ejus* (b), alia

(b). alia externa : sicut loquutus est ad patres nostros (c). alia publica : *Hic est filius meus dilectus* (d). alia privata : *Fatidus est sermo Domini ad me* (e). Harum quælibet esse potest objectum formale fidei divinæ , quoniam quævis est locutio dei habentis summam auctoritatem. Adplicari vero debet revelatio per judicium credibilitatis moraliter certum , quodque omnem excludat formidinem , ne non sit locutus Deus. est enim damnata ab Innocentio XI. propositio vigesima prima : *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili , immo cum formidine , qua quis formidat , ne non locutus sit Deus.* Non tamen æquali passu mensurare solent Theologi judicium credibilitatis in hominibus doctis , & rudi plebecula , de qua Augustinus (f) : *ceteram quidem turbam non intelligendi vivacitas , sed credendi simplicitas certissimam facit.* his enim sufficere videtur judicium credibilitatis , quod æquivaleat moraliter certo , quodque fundat testimonium Parochi vel Catechistæ proponentis mysterium fidei aliquod , ita ut excludant omnem formidi-

(b) *Oſ. 2.* (c) *Luc. 1.* (d) *Matt. 3.*  
 (e) *Ezech. c. 16.* (f) *Contra Epif. sum-  
dam. c. 4.*

midinem, quum nulla dubitandi ratio ipsis occurrat; quamvis dum credunt Parochi dicenti, Deum hoc esse locutum, ultimato credant & credere debeant ipsis Deo loquenti. Qui plus requirunt, videant, ne fidei viam intercludant simplicibus, & injuriam faciant benignitati Dei, cuius est *cum simplicibus sermocinatio* (g).

## XCIII.

Majorem difficultatem experiuntur Theologi in ultima, ut vocant, resolutione fidei, id quod examinant tertio loco: nimirum ut ostendant ultimum illud motivum, cui fides ita innitatur, ut non amplius alio opus habeat. Si enim quaeratur: cur credis mysterium Eucharistiae? respondebis, quia Deus infinitae auctoritatis hoc dixit. Sed si ulterius quaeratur, unde scis Deum esse infinitae auctoritatis? item, unde scis Deum revelasse mysterium Eucharistiae? In hac implicata quæstione satis convenienter primo, fidem non resolvi in testimonium Ecclesiae, ut præcise cœtus hominum est, ne quid humanum sapiat fides. Secundo, neque in motiva credibilitatis, quæ quidem inducunt voluntatem ad imperandum assensum, sed non sunt rationes credendi formales.

(g) *Prov. 3.*

males. Tertio, neque in propositionem particularem Parochi aut Doctoris tanquam præsentem & mediatam Dei locutionem. talis enim propositio Parochi aut Doctoris non habet characterem vocis divinæ, quemadmodum locutiones Patriarcharum ac Prophetarum. Quarto, neque in revelationem præteritam fide solum historica & motivis humanis vestitam. Ecce ! in quid non resolvatur Fides. Docent itaque graves Auctores, ultimato resolvi fidem tum in auctoritatem dei vel ex terminis vel aliunde notam ; supposita enim existentia Dei tanquam entis infinite perfecti per se clarum est, eum esse infinite sapientem, infinite veracem, nec falli posse, nec fallere, atque ita summæ auctoritatis esse: tum in ipsam dei revelationem suasive propositam lumine supernaturali, ita ut revelatio se habeat tanquam motivum *ut quo.* atque hanc illustrationem requiri a Concilio Arausiano patet, definiente : *Hæretico falli spiritu eum, qui dixerit, Evangelicæ prædicationi consentiri posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti.* Extrinsicè tamen & dispositive eadem fides resolviter in argumenta credibilitatis, qualia sunt, quæ veram fidem comitantur, doctrinæ puritas,

tas, propagatio Evangelii, sanguis martyrum, nubes testium, miraculorum copia &c. hæc enim signa moraliter loquendo nonnisi a Deo fieri potuerunt, & cum Richardo a S. Victore exclamare possumus (h) *Domine si error est, quem credimus, a te ipso decepti sumus.* Totam hanc doctrinam complectitur paucis verbis Doctor Angelicus (i): *Ille qui credit, habet sufficiens inducitivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ (enī motivum ut quod ex irinsecum) & quod plus est, interiori instinctu dei invitantis.* Enī motivum ut quo.) Heic ergo sistitur, nec ulterius pergitur, cessatque circulus ille vitiosus, quem frustra objiciunt hæretici, & Pontificium vocant. Falluntur autem hi ipsi, & fallunt aliquos, dum pro ultima fidei regula Spiritum privatum, idolum illud suum domesticum, statuunt. nullus enim est hæreticus, qui non jactet Spiritum privatum in sacra Scriptura intelligenda, & fidei articulis exponendis: nullus igitur litium & religionis controversiarum finis erit; nullus hæreticorum ad veram fidem reduci poterit, quovis ad Spiritum privatum tanquam ad judicem adpel-

(h) *Lib. 2. de Trinit. c. 2.* (i) *2. 2. q. 2. 4.  
9. ad 3.*

adpellante, ac provocante; atque ita Ecclesia & Religio Christiana pessime foret constituta: præterea spiritus hic privatus Spiritus Dei esse non potest, sed potius est spiritus Sathanæ, quum contradictiones suggerat, ut patet vel ex solo Eucharistiæ mysterio, & litibus circa istud, quæ Lutheranos inter & Calvinistas grassantur. Hinc rejecto hoc spiritu invictis argumentis demonstrant Theologi Ecclesiam Romano-Catholicam in decidendis quæstionibus ad fidem & bonos mores spectantibus falli aut fallere non posse propter certam Spiritus Sancti assistentiam, a Christo Domino promissam. Exercet autem Ecclesia infallibile suum judicium in Conciliis Generalibus legitime convocatis, & a Summo Pontifice approbatis, quorum definitio-nes, quæ ad fidem & mores spectant, tanquam ultimum & decretorium judicium ab omnibus agnosci & acceptari debent. Eadem auctoritas & infallibilitas, eadem reverentia & obedientia debetur Romani Pontificis sententiæ, si pluri-um per orbem dispersorum Episcoporum consensu firmetur: quin immo quum Concilia Oecumenica nonnisi raro & difficilime convocari possint, aut consensus Episcoporum dispersorum exspectari nequeat,

emergentibus interea gravibus in Ecclesia controyersiis, idcirco ad infallibilitatem decisionis Pontificiae non est absolute necessarius Ecclesiae consensus, sive in Concilio congregatae, sive dispersae: unde paucis exceptis communissimo suffragio docent Theologi, Pontificem independenter a consensu Ecclesiae errare haud posse in quæstionibus fidei & morum, in factis dogmaticis, in damnando sensu propositionis alicujus ab auctore intento, in declaranda orthodoxia aut heterodoxia doctrinæ. quare inanis semper fuit & est etiamnum Jansenistarum a definitione Papæ ad Concilium Generale appellatio.

## XCIV.

Examinant quarto dotes, quibus instrutus est, ac esse debet actus fidei. 1. est discursivus, ut ajunt, saltem virtualiter, afferens unum propter aliud, existentiam scilicet mysterii propter revelationem. 2. est obscurus, quando elicetur ex solo fidei, motivo, tum quia versatur circa mysteria obscura, quæ nulla ratione naturali demonstrari possunt; est enim fides secundum Apostolum *argumentum non apparentium*: tum quia nimirum fides revelatione per se obscure proposita. hinc

credendo dicimus *captivare intellectum.* Nihilominus Theologi longe plures sentiunt, posse actum fidei subsistere etiam cum evidētia seu scientia objecti. Sic existētia Dei, quæ evidēter nota est, debet etiam credi, dicente Apostolo (k): *accedentem ad Deum oportet credere,* quia est. & sane deterioris conditionis forent docti, quibus multæ veritates fidei: existētia Dei, providētia, immortali-tas animæ, aliaque principia moralia, sunt demonstratæ, si ab iis credendis ob doctrinam suam tot laboribus & vigiliis partam excluderentur. Fatentur tamen ultro, quod de potentia ordinaria fides stare nequeat cum visione beatifica: cum autem venerit quod perfectum est, eva-cuabitur, quod ex parte est (l). 3. est liber libertate mediata. extollunt enim SS. Patres meritum fidei eo ex capite, quod in captivitatē redigat intellectum in obsequium primæ veritatis, quod falsum foret, si liber non esset, saltem me-diate, quatenus a voluntate imperatur assensus hic intellectui. 4. est essentialiter verus, ita ut non possit ei subesse falsum, quum nullus scire valeat, ut ait Tridentinum (m) *eertitudine fidei, cui non po-test*

(k) *Ad Hebr. ix.* (l) *I. Cor. x3.* (m) *Sess.*  
c. 9. Nn 2

*test subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Oritur enim actus fidei a lumine supernaturali seu illustratione S. Spiritus, cui nullum esse potest cum falsitate commercium. §. Denique est certus tam certitudine infallibilitatis quam adhæsionis, & quidem certior, quam quivis actus naturalis; quod multa cum subtilitate e fundamento primum allato deducunt Theologi.

Examinant quinto loco, in quanam Religionem vera fides inveniatur. ad hanc questionem rite tractandam præmittunt diversitatem Religionum, quæ ad quinque reduci possunt, scilicet Polytheismum, qui multitudinem & turbam Deorum Dearumque admittit: Theismum, qui quidem unum fatetur Deum, sed nihil credendum esse contendit, nisi quod ratione naturali assequi possumus: Mahumetismum, qui Machumetem tanquam Prophetam & Legislatorem agnoscit, ac beatitudinem in voluptatibus & deliciis constituit, innumerisque fabulis religionem suam conspurcat: Judaismum, penes quem olim vera fuit religio, sed abnegato Dei filio, qui homo factus est, eoque in crucem acto Messiam venturum frustra expectat, & abrogatis Testamenti Veteris legibus mordicus adhæret: Christianismum,

mum, qui Christum Legislatorem ac novi Testamenti conditorem celebrat, ejusque legem sanctissimam amplectitur. Tum demonstratis gravissimis cæterarum quatuor Religionum erroribus ostendunt in primis Religionem Christianam esse evidenter credibilem ex summa sanctitate, sapientia, & potentia Christi religionis christianæ auctoris, ex puritate, sanctitate, & efficacia doctrinæ, quam profitetur hæc religio, ex testimonio hominum omni exceptione majorum, Apostolorum, Martyrum, Patrum & Ecclesiæ Doctorum, ex Prophetiis clarissime impletis, & miraculis plurimis ac certis in confirmationem religionis Christianæ patratis. Post hæc ostendunt Religionem Christianam esse etiam evidenter credendam. Est enim aliqua Religio credenda, quum vix ulla gens etiam maxime barbara unquam fuerit absque omni religione, nec genus humanum sine religione aliqua subsistere possit: quoniam igitur omnes aliae præter Christianam manifeste sunt falsæ, & sola Religio Christiana evidenter est credibilis, evidenter quoque credenda est.

Porro hæc ipsa Religio Christiana quum in diversas sibiique oppositas sectas, ut Catholicam, Lutheranam, Calvinianam,

Zwinglianam, Anglicanam &c. sit divisa, nonnisi una ex illis vera esse potest, eaque est Religio Romano-Catholica, quæ quatuor illis notis gaudet, quas ad veram Christi Ecclesiam antiquissimum Concilium & Symbolum Nicænum ab ipsis etiam heterodoxis receptum requirit, dum statuit credendam esse *Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Una enim est unitate doctrinæ ac fidei sub uno Capite supremo, Romano Pontifice: Sancta est sanctitate legum ac morum: Catholica seu universalis propagatione doctrinæ per omnes mundi partes: Apostolica seu antiqua tum ratione doctrinæ ab Apostolis traditæ & in hanc usque diem conservatæ, tum ratione perpetuæ ac nunquam interruptæ successionis Episcoporum, præsertim in cathedra S. Petri.

Examinant sexto necessitatem fidei, docentque *actualēm fidem supernaturalem esse adultis necessariam ad justificationem & salutem consequendam*, quum *sine fide impossibile sit placere Deo.* Credenda autem necessario sunt necessitate medii 1. implicitē omnia revelata. 2. explicitē Deus ut unicus, ut existens, & ut bonorum remunerator ac malorum vindicta; necessitate præcepti vero Mysteria Trini-

Trinitatis & Incarnationis (si non omnino necessitate medii post promulgatum sufficienter Evangelium) & omnia in Symbolo contenta, & quidem explicite. Præterea ostendunt, præceptum credendi obligare sub gravi culpa 1. pueros, quando usum rationis sunt consecuti. 2. Si urgeat tentatio contra fidem cum periculo consensus, nisi eliciatur actus fidei. 3. in præsenti mortis periculo, & aliquoties vel saltem semel in anno. Denique præceptum professionis fidei per actum externum urgere docent, quando est necessaria ad honorem Dei, ad proximi utilitatem, & ad salutem propriam. De hac professione loquitur Apostolus (n): *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

XCV.

Post expositam late doctrinam de Fide, breviore manu reliquas duas virtutes Theologicas spem & Charitatem attingunt. Actum spei, quam *ædificii spiritualis argumentum* vocat Origenes (o), definiunt quod sit desiderium fiduciale supernaturale beatitudinis æternæ, Deo auxiliatori innixum. *Desiderium* aliud non

(n) *ad Rom. 10.* (o) *in cap. 4. ep. ad Rom.*

non est, quam amor concupiscentiæ, sive amor rei ut nobis bonæ cum appetitu eam habendi. *Fiduciale*, quia spes debet esse cum fiducia acquirendi rem. Hæc fiducia excitat ad agendum, quod ex parte nostra est necessarium ad eam rem obtinendam, dum ipsa desperatio vitium spei oppositum est quidem desiderium, sed sine fiducia ac solicitudine de agendo. *Supernaturale*, quia pendet a præveniente Spiritus S. inspiratione, & ejus adjutorio, sine quo nemo credere, sperare, aut diligere potest, ut definit Tridentinum (p). *Supernæ beatitudinis*, hoc est, Dei per visionem & amorem possidendi. Si enim alia speramus, non referendo ea ad Deum, non est actus spei theologicæ, sed solum spei alicujus moralis: si autem alia speramus in ordine ad Deum, tunc magis hunc ipsum speramus; quemadmodum si diligimus proximum propter Deum, etiam hunc ipsum, & magis diligimus. *Deo auxiliatori innixum*, quia quum solis viribus naturæ non possimus beatitudinem supernam consequi, debemus juvari a Deo, quumque hic auxilium promiserit, merito nostra fiducia ejus auxilio, seu ipsi auxilium promittenti & certissime collaturo innitur. Habitualis autem spes est virtus

theologica elicitiva desiderii fiducialis paullo ante descripti. Porro dividunt theologi scholarum more objectum spei in materiale & formale: Materiale primarium est ipse Deus possidendus, sive concretum ex Deo & ejus visione ac amore: alia vero quæ sperantur in ordine ad Deum consequendum, e.g. auxiliantes gratiæ, sunt objectum ut vocant secundarium. Proprietates ac dotes, quæ objectum hoc materiale spei insigniunt, prodit Doctor Angelicus (q), dum ait: *objectum spei est bonum, futurum, arduum, possibile haberi.* Bonum videlicet, quia tendit ad Deum, qui summum Bonum & bonorum omnium fons est: Futurum, nam spes quæ videtur, non est spes. *Quod enim videt quis, non sperat,* ut loquitur Apostolus (r). Arduum, quia requirit animi erectionem adversus difficultates superandas. Hinc Altisiodorus spem vocat *quandam audaciam mentis:* Possibile habeti; nam impossibilis iicut *ignoti nulla cupido.* Objectum formale actus spei theologicæ adsignant ipsam bonitatem Dei possidendi, ut bonam nobis, si spes consideretur quatenus est desiderium: si vero quatenus est fiducia spectetur, fidelissi.

(q) 2.2. q. 17. 4.1. (r) ad Rom. 8.

lissimam promissionem Dei, & potentiam ferendi auxilium. Ipse autem actus spei theologicæ est omnino certus & firmus, nimirum certitudine conditionata, (si homo suis partibus non defit, & gratiæ Dæi fideliter cooperetur) non absoluta, ut conceptis verbis explicat Tridentinum  
 (s) dicens: *De perseverantiæ munere . . . nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent.* Demum spem actualem docent adultis esse necessariam necessitate medii, cuius præceptum affirmativum per se obligat sub initium rationis, sub vitæ finem, & probabilius aliquoties in vita: per accidens autem variis in casibus, ut in periculo desperationis, & quando urget præceptum cuiusdam virtutis, quæ sine spe exerceri nequit.

## XCVI.

Præceptum charitatis magnis characteribus ipsum Numen digito suo scripsit in Veteri & Novo Testamento (t): *Dileges Dominum Deum tuum ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua,* diciturque a Matthæo Evangelista *Primum ac maximum mandatum, quo nimi-*

(s) *Seff. 6. c. 13.* (t) *Deuter. 6. & Matth. 22.*

nimirum ita appretiative tenemur diligere Deum, ut parati simus omnium rerum jacturam pati potius, quam gravi peccato summum hoc bonum offendere. Atque hoc præceptum sœpius urget in vita, & maxime in mortis periculo. Perplacet illorum sententia, qui dicunt, adultum diutius viventem peccare, si diu differat amare Deum super omnia: hinc damnata est propositio quinta & sexta ab Innocentio XI. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Huic primo & maximo mandato diligendi Deum super omnia indissolubili nexu jangitur præceptum diligendi proximum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (v). Propterea merito damnata est ab eodem Innocentio XI. propositio decima: *Non tenemur diligere proximum amore interno & formaliter.* Ab hæreticis autem & ex hæreticorum fontibus haustum est, quod fidentius quam par est aliqui asserunt, omnia hominum opera mala esse, quæ non fiunt ex charitate, quasi vero per se bonum non sit subministrare cibum pauperi, iram coercere, jus suum cuique tribuere. Ostendit errorem hunc satis damnata Baji propositio: *omnium infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum* (vii) Matth. 22.

*virtutes sunt vicia.* Jam vero de ipso actu charitatis theologicæ docent Theologi, quod sit amor, quo diligimus Deum super omnia propter se ipsum, id est, non quia bonus nobis, sed quia sibi ipsi bonus est. Ad hoc requiruntur tria: primo ut amor hic præferat Deum omnibus rebus, & ipsum amet appretiative præ cunctis aliis, etiam seipso amante, & pro nulla re totius mundi aliquid Deo graviter displicens admittat: secundo, amor hic debet Deum amare, seu velle ipsi bonum tam intrinsecum seu perfectiones, de quibus gaudet, quam extrinsecum seu cultum, & adorationem, quod utrumque exhiberi Deo desiderat: tertio, debet præscindere ab omni concupiscentia seu propria amantis utilitate, ut non quærat ullum bonum suum, sed solum Dei bonum. hinc distinguunt Theologi inter amorem benevolentiae, & amorem concupiscentiae, quorum tamen prior non positive excludit posteriorem, sed præscindit ab eo. Porro objectum materiale charitatis primarium est Deus: secundarium omnia ea, quæ amantur propter Deum. Objectum vero formale est bonitas divina, non ut bona nobis, sed ut bona Deo. Nam *Amicus amico vult bona ejus, ipsius caussa,* ut ani-

animadvertisit pridem Aristoteles (x). Unde datur inter Deum & hominem iustum vera amicitia, atque adeo actus charitatis est amor amicitiae. Quapropter Psalmista vocat homines justos & sanctos Dei amicos : *Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus* (y). Enimvero nec deest jus ad amorem reciprocum : *Ego diligentes me diligo* : nec proportio, quum per gratiam sanctificantem homo fiat filius adoptivus Dei, & sic participeat suo modo naturam divinam. Nam etiam secundum Juris placita adoptio est *assumptio legitima naturæ extraneæ*. Sunt heic non pauci magnique nominis Auctores, qui docent, in adultis justificationem fieri formaliter per actum charitatis in contritione perfecta contentum. At alii communius id negant, afferentes actum charitatis non justificare formaliter, quum S. Scriptura pluribus in locis (z) vere pœnitentibus & perfecte contritis promittat remissionem peccati, & admissionem ad amicitiam Dei : quis autem promittit rem aliquam propter se ipsam, & non propter aliam? dicere volo, justificationem propter charitatem, si hæc sit jam ipsa formalis justificatio?

nihili-

(x) 8. Ethic. c. 7. (y) Psalm. 133.

(z) Ezech. 18. & 33. Zachar. 1.



nihilominus facile concedunt hi Auctores, quod actus charitatis quam proxime disponat ad justificationem, id quod colligunt ex Tridentino (a). Cætera non tantum minuitur, sed omnino tollitur & destruitur charitas per peccatum mortale, utpote cum quo componi nequit: *quæ enim societas lucis ad tenebras?* non tamen minuitur per peccatum veniale. Nam ex hoc sequeretur, multiplicatis venialibus tandem destrui charitatem, & hominem damnari propter peccata venialia, quod est in fide erroneous; quamvis aliquo modo, scilicet indirecte, etiam venialia peccata minuant charitatem, disponendo ad peccatum mortale, impediendo fervorem charitatis, intendendo pravos habitus ad malem. *Qui spernit modica, paullatim decidet* (b).

## §. XI.

## Tractatus de Jure ac Justitia.

## XCVII.

**E**xpedita virtutum Theologicarum doctrina Theologi præcipuam ex iis, quas Cardinales adpellare solemus, explicandam sibi sumunt, nempe Justitiam, quam D. Tho-

(a) *Seff.* 6. c. 5. (b) *Eccles.* 19.

Thomas (c) in toto virtutum moralium choro excellere docet, quaque vel maxime homo ad pie, juste ac sobrie vivendum, atque ita ad finem suum ultimum consequendum disponitur. Quare post Juris & Justitiæ definitionem, divisionem, objectum & subjectum, digrediuntur ad primam rerum divisionem pluribus exponendam. Nosse igitur oportet, spectato tantum jure naturali omnia bona esse communia; nec enim natura humana per se exigit hanc divisionem: immo in statu justitiæ originali, si nimirum Adam non peccasset, forte haud fieri debuisset ulla bonorum divisio, eo quod in rerum omnium affluentia & dominio humanarum affectionum non erant timenda illa incommoda, quæ modo orientur, si bona adhuc communia forent. Neque etiam divisio hæc facta est jure solum positivo qualicunque, sed tali, ad quod statuendum impellebant rationes adeo graves, tamque universales, ut omnibus gentibus adferrent necessitatem sic statuendi, seu faciendi predictam rerum divisionem. Negari equidem non potest, perfectius fore, si omnia haberentur communia, uti habebantur initio conditi orbis, quando Deus homini subjecit terram, & maria,

quæ-

quæque in illis reperiuntur: atque etiam uti habebantur initio nascentis Ecclesiæ inter fideles Hierosolymis, sicut refertur in actis Apostolorum (d) & adhuc habentur in Religiosis communitatibus. Attamen ob numerum innumerabilium hominum, nolentium ad perfectionem adstringi, & ob gravissimas caussas divisionem suadentes melius fuit res dividi, & privatis bona tanquam propria possiden- da relinqu: neque Jus naturale, quo omnia, ut dictum est, sunt communia, præcipiebat, ut hæc honorum communi- tas semper observaretur, sed eam solum tamdiu permittebat, donec ex justis causis res privatis dominis legitime adtribue- retur. Porro hanc divisionem videtur in- nuere S. Scriptura (e) dicens: *Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Pbaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra, quamvis non videatur negandum esse, jam ante diluvium aliquam terrarum & bonorum divisionem fuisse factam Præsi- de divisionis Adamo, uti post diluvium Præside Noemo.* His positis concludunt, divisionem primam factam esse jure gen- tium. Non enim facta est jure divino, quum nullum hac de re præceptum Dei aut traditio de tali præcepto existet: im- mo

(d) Genes. x. (e) Psalm. 8.

mo Deus ſubjecit hominibus & volatilia cœli, & pisces maris, & animalia terræ: *Omnia ſubjecisti ſub pedibus ejus, oves & boves &c.* Neque facta eft jure naturali, ut vidimus. Rationes autem cur jure gentium facta ſit, ſane multas & maximi momenti adferunt, videlicet quia excitanda fuit hominum industria ad conservationem & culturam talium bonorum, tum ut evitaretur rerum confuſio, quæ contigiflet uno in alterius & plura bona invadente, tum denique ut caveretur innumeris litibus ex communitate bonorum oriſuris, ac perturbationi ſocietatis humanae certo certius ſecuturæ.

Stabilita ſic rerum divisione pergunta Theologi ad Dominium, quod in genere deſcribunt, eſſe ius reale diſponendi de re in proprium commodum vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum emolumenta ipliſius, vel ſecundum utrumque. Facta poſtmodum diſtione dominii in variis ejusdem ſpecies duo maximi momenti, & ad forum proprium ſpectantia examinant, nimirum quale dominium competat Clericis, & quale Religiosis. Ad pri- mā quæſitionem de Clericis imprimis notant, ſub initium Ecclesiæ Christianos plurimos & Clericos omnes communem vitam voto paupertatis obſtrictam egiffe

(f): unde tunc temporis omni dominio  
sponte se abdicarunt. Immo primis tem-  
poribus nec Ecclesia in communi posside-  
bat bona immobilia, sed fideles agros &  
similia vendebant, & pretium ad Aposto-  
los deferebant (g); idque prudenti con-  
silio fecerunt, quum novellæ Ecclesiæ  
tantas inter vexationes ejusmodi bona  
non fuissent permitta. Temporibus tran-  
quillis visum est melius provisum iri Ec-  
clesiæ per bona stabilia, eaqne sunt ad-  
missa (h). quapropter damnata fuit a  
Concllio Constantiensi propositio Wi-  
cleffi trigesima sexta: *Papa cum omnibus  
Clericis suis possessionem habentibus sunt  
heretici, eo quod possessionem habeant.*  
Porro Seculo V. Simplici Papæ tempore  
facta est redditum Ecclesiasticorum divi-  
sio in quatuor partes, e quibus una ces-  
sit Episcopo, altera divisa est inter Cle-  
ricos, tertia impensa est in eleemosynam,  
quarta applicata est fabricæ Ecclesiæ. His  
præmissis docent communius Theologi,  
Clericos Seculares Beneficiatos dominos  
esse omnium redditum, etiam superfluo-  
rum: indivisim enim & promiscue acci-  
piunt redditus congruae sustentationi de-  
stinatos cum eorum dominio tanquam  
mer-

(f) *C. Dilectissimis Fratribus* 12. q. 1. (g) *Aet. 4.*(h) *C. Videntes* 12. q. 1.

mercedem : *dignus est enim Operarius mercede sua.* Hinc natum proverbium : *Beneficium datur propter officium.* Nulla igitur ratio subtrahendi superfluos reditus a dominio : immo Clericos seculares docent non teneri titulo *justitiae* errogare superflua in pauperes vel causas pias , quam sententiam Covarruvia (i) dicit nunc esse communem , & totius orbis consuetudine juvari ; quamvis graves aliqui Auctores contrarium sentiant. Inferunt autem priores sententiam suam e Concilio Tridentino (k), scilicet quod Clerici faciant fructus suos , adeoque sub eorum dominium cadant. Neque etiam ab Ecclesia urgentur ad restitutionem superfluorum in profanos usus expensorum , quod tamen fieri deberet , si ex justitia tenerentur. Omnes tamen fatentur , Clericos sub gravi peccato obligari , ut non expendant illa in res profanas , uti docet memoratum Tridentinum (l). Ad secundam quæstionem de Religiosis docent primo : eos in communi , seu communites Religiosas posse habere dominium & rerum mobilium & immobilium ,

ex-

(i) In C. cum in officiis de testamentis. n. 11.

(k) Sess. 22. c. 3. & Sess. 24. c. 11. de reformat.

exceptis Fratribus Minoribus, quos de  
observantia vocant, & Capucinis. quippe  
Tridentinum (m) omnibus aliis Religio-  
sis, etiam iis, quibus vi Constitutionum  
suarum non licebat, facultatem conce-  
dit, ut *deinceps bona immobilia eis possi-  
dere liceret*. Secundo, Religiosos tamen  
particulares esse incapaces omnis do-  
minii, vel juris proprietatis cuius cunque,  
etiam imperfecti, ut tradit idem Tridenti-  
natum (n), quæ incapacitas oritur ex jure  
Ecclesiastico illam adnectente solemnni Pro-  
fessioni, vel aliis votis Religiosis.

## XCVIII.

Circa objectum Dominii convenientiunt Theo-  
logi, hominem esse dominum bonorum  
externorum, quæ vocantur bona fortu-  
næ: item bonorum famæ propriæ ac ho-  
noris, utpote quæ bona suis meritis &  
actionibus acquirit quemadmodum alia  
bona, quæ Jurisperiti vocant bona ac-  
quisita; unde sive alterius damno infamare  
se ipsum potest: item esse domi-  
num libertatis suæ: negant tamen homi-  
nem esse absolutum Dominum vitæ suæ  
ac membrorum, sed dunt taxat habere  
usum fructum, quamvis ex justa caussa  
facere aliquid vel omittere possit, ex  
quo indirecte mors propria vel mutila-  
tio

(m) *ibid. c. 3.* (n) *ibid. de Regularibus c. 2.*

tio membrorum sequatur. Examinant heic Theologi primo, an homo habere possit dominium in alterum hominem? Negant hoc fieri posse jure naturæ, ut pote quo omnes sunt æquales; posse tamen acquiri tale dominium jure positivo. Ita constat tum ex S. Scriptura, tum ex jure civili, varia esse servitutum genera: fiunt aliqui servi jure belli, quando sunt in eo capti, a qua tamen servitude excipiuntur Christiani: alii sunt servi a nativitate, qui de matre serva nati sunt, quia partus sequitur ventrem: alii iusta condemnatione & propter delictum libertate exuti in servitutem rediguntur. Examinant secundo, an Judex licite possit hominem, quem privata scientia novit esse innocentem, quamvis secundum allegata & probata sit nocens, adjudicare morti? controversia hæc celebris est inter Theologos & Jurisperitos, in utramque partem sese dividentes. Mitior sententia favet innocentiae accusati contra Judicem. Deus enim, qui vitæ ac necis arbiter est, nec Judici nec Reipublicæ ejusmodi potestatem concedit: non Judici, cui dicit(o): *Insontem & justum non occides; non Reipublicæ;* hæc enim ne quidem ad vitandum excidium totius com-

communitatis potest innocentem tradere occidendum hosti , minitanti excidium urbi , nisi caput innocentis tradatur : multo minus igitur censetur Deus concessisse potestatem occidendi innocentem , quem Judex a Republica constitutus certo novit esse talem , ad evitandum damnum , quod fortassis Reipublicæ otiri posset ex sententia , quæ non fertur secundum allegata & probata . Examinant tertio , an licitum sit pro defensione vitæ , honoris , fortunarum aut pudicitiae occidere injustum aggressorem ? statuantque cuivis homini licere vim injuste illatam vi repellere , cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ , etiam occidendo injustum aggressorem : præterea licere quoque pro defensione temporalium bonorum fortunæ magni momenti ac pretii occidere furem vim facientem , si aliter ea bona servari aut recuperari nequeant : porro posse etiam pudicitiam (thesaurum illum incomparabilem , nec ullo pretio refaciendum ) defendi servato eodem moderamine , atque occidi eum , qui per vim eripere tentat . Negant vero , licitum esse pro defensione solius honoris occidere injustum aggressorem ; idque satis constat ex aliquot propositionibus damnatis ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Benedicto XIV.

Ne-

Neque videtur, qua ratione Iesus honor cæde calumniatoris recuperari possit, nisi forte apud homines barbaros aut doctrinæ Evangelicæ prorsus expertes. Et sane si quis privatus in raro aliquo casu deberet innocens perdere honorem, non propterea ad eum servandum licita esse cædes calumniatoris videtur; non enim debuit Jus naturale propter bonum aliquius privati in aliquo raro casu tantum occurrens, permittere hanc defensionem immoderatam, quæ innumeris ob facilitatem lœdendi honorem cædibus ansam præberet.

De modis acquirendi dominium dum agunt Theologi, distinguere solent inter modos acquirendi naturales, seu fundatos in jure naturali aut gentium, uti sunt occupatio, nativitas, alluvio &c. & inter modos acquirendi civiles seu introductos a jure civili, uti est præscriptio seu usucapio, donatio, hæreditas, acquisitionis per contractus &c. Circa primi generis modos acquirendi tractant Theologi de occupatione ferarum. Has quamdiu sunt in naturali libertate, nullius esse, sed primo occupantis: mansuetas vero vel cœcuratas eosque esse in potestate illius, qui mansuetfecit, quamdiu habent animum vel consuetudinem revertendi,

satis declarant Jura diversis locis. De venatione autem docent, eam licet jure naturali cuique hominum permissa sit, tamen Rempublicam vel Principem ex justis causis sibi vendicare posse, exclusis subditis, etiam in prædiis & silvis eorum propriis; non tamen propterea licere Principibus vel Magnatibus, ut prohibeant subditis, ne arceant vel abigant feras a satiis aut pratis frugiferis. Non enim censendum est, cum tanto subditorum damno jus hoc vel primo reservatum ab iis, vel postea in illos translatum fuisse. Inter ea tamen venator feram capiens in loco prohibito fit dominus feræ, utpote quæ in naturali libertate constituta in nullius est dominio, sed fit primo occupantis: & quamvis peccet contra jus alterius, non tamen tenetur in conscientia ad restitutionem ante sententiam Judicis. Num autem lex prohibens venationem sit tantum poenalis, an non, disputant inter se Theologi & Juristæ. Dodifissimus Card. Lugo (p) ait, communem esse sententiam, injustum venatorem non quidem teneri ad restitutionem feræ, bene tamen ad compensationem pro læso jure venandi, nisi ex magnificentia Domini colligatur, ipsi non esse curæ restitutionem danni,

(p) *De Justit. Disp. 6. Sed. 7. & 8.*

ni, sed solum statuere poenas, ut feræ sint tutæ, id quod ordinarie præsumendum esse credit de Principibus & Magnatibus. Hoc certum est, tum ex parte Principum nimia cupiditate vel severitate, tum ex parte subditorum nimia libertate, quam sibi arrogant, malitia, & obstinatione animi non raro graviter peccari cum onere restitutionis. Idem ferme sentiunt Theologi de piscatu. De occupatione rerum inventarum ad thesauros quod adtinet, observanda sunt ea, quæ jura & consuetudines statuunt. Difficilior quæstio occurrit de aliis rebus inventis, ad quem pertineant, si post debitam diligentiam adhibitam dominus non compareat. Obligationem res inventas dandi pauperibus aut expendendi in caussas pias communius Antiquiores Theologi adstruebant. At Recentiores, inter quos gravissimi Auctores, absolvunt ab hoc onere inventorem bonæ fidei, remque inventam in propriam utilitatem ab eo converti posse censent. Ajunt enim, gravem hanc obligationem nec probari ex lege naturali, quum passim Viri docti hanc non agnoscant: nec ex positiva, quia hæc solum loquitur de bonis incertis ex delicto, neque ex consuetudine, quæ est contraria: profecto sic neminem fore, qui rem inventam tolleret,

quum teneretur cum incommodo suo conservare ac custodire, usque dum dominus compareat, & eo non comparente sine ullo commodo aliis tradere: atque ita benigniorem sententiam optabiliorem esse non solum inventor, sed & ipsi etiam domino. Circa secundi generis modos acquirendi seu Civiles agunt Theologi primo de præscriptione, quam admittunt efficiacem esse non solum in foro interno conscientie, sed etiam pro externo in judicio. Post examinatas quatuor potissimum conditiones ad præscriptionem legitimam requiras, scilicet bonam fidem, res quæ præscribi vel possunt vel nequeunt, justum titulum, & tempus determinatum, valide inter se disputant de prima conditione, seu de bona fide, convenient in eo, quod necessaria sit ad inchoandam præscriptionem: immo etiam ad continuandam ita, ut si interveniat mala fides, præscriptionis cursus interruipatur. Difficultatem movent nonnulli, an ad inchoandam præscriptionem requiratur fides positive bona, seu conjuncta cum judicio prudenti, quod res sit sua; vel sufficiat fides negative bona, ubi suspenditur judicium, nec habetur sufficiens ratio dicendi, rem potius esse suam, quam non suam. Sed longe communior Doctorum sententia fidem

fidem positive bonam requirit ad inchoandam præscriptionem. nam qui nondum possidet, & simul dubitat, an res sit sua, & an lædat forte jus alterius, inique agit rem sibi tanquam propriam vindicando, quum in tali dubio non sit melior ipsius conditio quam alterius, seque exponit periculo violandi & proximi, nec formare sibi potest dictamen practicum, id sibi licere. Aliud est, ubi agitur de continuanda præscriptione, ad quam sufficere fidem negative bonam facile conceditur, quum qui possidere bona fide incepit, possessio-nis titulo tueri se possit, nec possessione defici, quamdiu non probetur, rem esse alterius.

## XCIX.

Alteram Tractationis partem, ad materiam justitiæ pertinentem ponunt Theologi in restitutione, seu reparazione juris læsi ac damni illati. Hujus geminam radicem statuunt, videlicet quod restituere teneamus vel titulo rei acceptæ, vel iustæ acceptio-nis. Prima potest esse sine culpa, & tamen restitutioni est obnoxia: *res enim, quamdiu existit, semper clamat ad dominum*: non item posterior, ubi etiam si res amplius non existat, si iuste accepta sit, resarciri damnum debet ex *aquo*.

æquo & justo. quippe repugnat juri naturali, ut quis cum alterius detimento & injuria fiat locupletior (q). Heic magnis studiis in utramque partem agitatur quæstio, an bonæ fidei possessor cum re evicta restituere teneatur fructus non solum formaliter, sed etiam virtualiter existentes, seu bona fide consueta, ex quibus factus est ditior. Affirmantis sententiæ patroni ajunt, ex una parte certum esse, quod jure naturæ teneatur, quoniam fructus virtualiter seu in æstimatione moraliter existant, & quælibet res fructificat domino suo: ex altera, leges positivas, dum virtualiter existantium dominium tribuere videntur possessori, intelligendas esse de dominio revocabili. At qui neganti sententiæ ac benigniori adhærent, tuentur se Lege (r), quæ pronunciat illum, qui bona fide percepit fructus, lucrari oportere, si eos consumpsit. unde inferunt possessorem bonæ fidei (excepto possessore hæreditatis alienæ, de quo, Jura contrarium asserunt) non teneri restituere lucrum sibi a Legibus justa de causa sine discrimine adjudicatum; ut nihil dicam de gravissimis litibus circa fructus bona fide perceptos orituris, quas jara

(q) Leg. 206. ff. de Reg. Jur. (r) Sed & loci 4. §. post litem ff. de fin. regund.

jura provide in materia de præscriptione evitare voluisse censenda sunt. Contra malæ fidei possessorem communi suffragio condemnant ad omnes fructus, industrialibus exceptis, non solum perceptos & consumtos, sed etiam percipiendos, seu quos verus dominus interea percipere potuisset, restituendos. Porro nulla culpa sive lata sive levi (secluso speciali pacto) induci docent obligacionem resarcendi damnum ex delicto illatum ante Iudicis sententiam, si culpa mere civilis sit, & absit culpa vere theologica ob defectum deliberationis aut advertentiæ. Non enim datur hæc obligatio ex re accepta, quum damnum ponatur esse illatum absque lucro illius, qui hoc intulit: neque ex injusta acceptione, utpote quæ culpam theologicam supponit. Sufficit ergo, quod post sententiam judicis hæc obligatio detur, quo in sensu legem Aquiliam communior intelligit. Tum late disputant Theologi de furto & restitutionis onere, quod inde oritur. ubi certum est, furem ad restitutionem teneri vel sub levi vel sub gravi pro quantitate vel qualitate rei furto subtractæ. docent autem, quod ad quantitatem determinandam non eadem universæ materia statui possit, sed diversa pro

pro diversitate status personarum: unde plurimi Actores sunt, qui mortalis peccati reum agunt, qui tantum furatur alteri, quantum considerando statum ejus pro victu & sustentatione diurna requiritur. Major difficultas se se offert de furtis minutis, quibus si vel habeatur animus ad gravem summam pervenienti, vel si post plura minuta furtata advertatur constitui summam gravem, graviter peccatur: Idem dicendum, si pluribus per furtata minuta gravis summa fuerit ablata, v. g. per stateras dolosas, vel per mensuras non justas. Circa usuram definiunt, ratione mutui immediate ac præcise nihil exigi aut accipi posse ultra sortem principalem absque usuræ nota: lice re tamen ratione damni emergentis aut lucri cessantis secundum prudentem aestimationem, quin etiam ratione periculi perdendæ sortis, quamvis non pauci sint, qui hunc titulum tanquam usuræ pallium rejiciant. Universim docent Theologi, usuram propriæ talem prohibitam esse & sure humano, & divino dicente Evangelista (s): *Mutuum date, nibil inde sperantes, ubi primum est consilii, alterum præcepti, quemadmodum quando dicitur (t): Novete & reddite: nec posse pro*

(s) *Luc. 6.* (t) *Psalm. 75.*

pro mutuo quidquam accipi ultra sortem  
absque justo titulo , in quo inveniendo  
tam solicite laborant Theologi, quam fa-  
cile coloratum inveniunt homines avari ac  
conscientiae parum studiosi. Demum post-  
quam quid pro injuriis corpori ac famæ  
illatis restituiri debeat, & quænam caussæ  
a restitutioue excusent, accurate expli-  
catunt, admittunt quidem licitam esse  
occultam compensationem, sed nonnisi  
servatis debitibus conditionibus, nimirum  
ut debitum sit certum , ut vel absolute  
vel non absque gravi difficultate obtineri  
alio modo nequeat, ut fiat ex rebus quæ  
sunt debitoris, & ut creditor sufficien-  
ter prospiciat, ne debitor bis solvat: quæ  
conditiones quum raro concurrant, etiam  
raro hac occultæ compensationis via uti  
licebit.

§. XII.

*Tractatus de Sacramentis in genere.*

C.

**A**d doctrinam de Sacramentis denique  
gradum faciunt Theologi, utpote quæ  
sunt totidem fontes gratiæ, per quam in  
præsenti vita ordinamur, juvamur, atque  
perducimur ad futuram æternumque bea-  
tam vitam , & ultimum finem nostrum.

Ac

Ac primo quidem tractant de Sacramentis in genere, atque definitur Sacramentum novae legis cum Tridentino (u) quod sit symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis: vel cum Catechismo Romano iussu Tridentini edito, quod sit invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum. quibus verbis præter alia (uti baptismum Joannis, actum charitatis perfectæ, sacramentalia &c.) excludunt a ratione Sacramenti Martyrium, quum hoc non sit ceremonia sacra, & quamvis Martyri vere tali conferat infallibiliter gratiam sanctificantem, non tamen ad hanc significandam est institutum a Deo, qui proprie Auctor martyrii non est, utpote quod peccatum tyranni supponit. Fuerunt autem Sacra menta in omni lege; & quidem in lege naturæ fuit remedium a Deo institutum pro parvulis ad delendum peccatum originale, atque remedium hoc verum fuit Sacramentum, uti S. Augustinus, & post ipsum omnes Theologi docent: *Non est credendum, inquit ille, ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem illis generat Mediatoris fides, nullo Sacramento eos opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud sit, aliqua necessaria causa*

enissa Scriptura latere nos voluit (x). Constituunt autem communiter remedium hoc tum in fide interna ministri, quum fidem aliquam in Christum omni tempore ad justificationem nostram fuisse necessariam dogma sit Catholicum, tum in actione quadam protestativa fidei ob similitudinem cum aliis Sacramentis, quæ constant rebus sensibiliibus: sola enim fides interna, quum sensibus subjecta non sit, externa quadam actione manifestari debebat. Atque hinc natum est axioma illud, in lege naturæ parvulos fuisse justificatos in fide parentum. In lege Mosaica plura fuerunt sacramenta, quam in lege naturæ: populus enim iam in unum corpus Religionis adunatus disponi debuit ad adventum Christi venturi ex stirpe Abrahæ. hæc autem congregatio populi & segregatio a cæteris gentibus facta est per specialem & magis expressam professionem fidei in Deum & Christum venturum, nimirum per circumcisionem Abrahæ imperatam, quæ simul erat remedium pro peccato originali parvolorum, (nam pro femellis utpote circumcisionis incapacibus remansit remedium legis naturæ) ac verum legis Mosaicæ sacramentum. Præter hoc adsignantur alia hujus

Le-

(x) L. 5. contra Julianum. c. II.

Legis sacramenta : Immolatio agni Paschalis , Sacerdotium Legale , varia Sacrificia & Expiationes. Circumcisio erat figura baptismi , Agnus Paschalis Eucharistiæ , Sacerdotium legale nostri sacerdotii , Sacrificia & Expiationes sacramenti Pœnitentiarum . Matrimonium vero in lege veteri sacramentum non fuit , quia nondum erat factum mirabile illud connubium seu conjunctio Verbi cum humanitate . Extrema unctionio & Confirmatio non habuerunt proprias figuræ teste D. Thoma (y) , quia in confirmatione datur plenitudo Spiritus Sancti ; per unctionem vero præparatur homo ad introitum gloriae . At lex Mosaica erat egena & vacua , ut loquitur Apostolus , nec poterat hominem introducere ad gloriam , quum nondum porta cœli aperta staret . Verum de his omnibus veteris legis seu scriptis seu non scriptis Sacramentis docent Theologi , quod non contulerint gratiam sanctificantem ex opere ut vocant operato , seu ipso usu & applicatione per propriam virtutem citra vel saltem ultra meritum suscipientis . Nam si consulamus Apostolum , quomodo ait iterum convertimini ad infirma & egena elementa (z) ? Quæ utilitas circumcisiorum ? multum quidem & per omnem

(y) I. 2. q. 102. a. 5.

(z) Ad Galat. 4.

omnem modum, quia credita sunt illis eloquia Dei (a). Nulla hec mentio sit de virtute justificandi, quæ tamen præcipua fuisset circumcisionis utilitas. Si consulamus Florentinum, hoc conceptis verbis docet (b), Sacra menta antiqua non cauſafſe gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Christi dandam præfigurasse. Nihilominus Theologi tribuunt circumcisioni, quatenus involvit fidem mihiſtri & protestationem internam, quæ illam imperabat, tribuunt inquam virtutem conferendi gratiam justificantem ex opere operantis, ſcilicet intuitu operantis & fidei ipsius, quæ ſententia media eſt, & conciliat Patres, quorum antiquiores cum Auguſtino docuere, circumcisionem ad conſignandum populum electum fuiffe inſtitutum; fere omnem tamen vim & virtutem ad justificandum adimebant: Recentiores vero illam, ut eſt remediam legis naturæ, extollunt, & vim ad justificationem parvulorum adtribuunt. Hæc de Sacramentis Veteris Testamenti.

At in novo septem præcife Sacra menta eſſe, & quidem a Christo Domino immediate inſtituta ostendunt non ſolum e Conciiliorum Florentini & Tridentini definitioni-

(a) *Ad Rom. 3.*

(b) *In Decr. de Sacra mentis.*  
P p 2

tionibus, verum etiam solide probant cum ex ipsis SS. Literis & perpetua Traditione, tum ex Patribus, tum denique ex communi omnium Ecclesiarum consensu. Et sane totidem Sacra menta vide ri possunt necessaria ad vitam spiritualem tum obtinendam per Christum, tum conservandam. per baptismum enim regeneramur, per confirmationem roboramur in fide, per poenitentiam ad salutem revocamur, per evcharistiam nutrimur, per extremam unctionem in morbis & mortis articulo confortamur ad agonem, per matrimonium propagatur fidelium communitas, per Ordinem spiritualiter gubernatur. Contra hæc sanctæ Ecclesiæ militantis pignora insurrexere Sectarii illi, qui propter eas Sacmentarii vocantur. Mirum est, quanta sit hos ipsos inter discordia: Capharnaitæ & Simon Magus, atque Archontici omnia negabant Sacra menta, quem errorem etiam Fraticellis, seu Beguinis adscribit Joannes XXII. atque hunc ipsum instaurarunt Schwenckfeldiani: Novatiani rejiciebant Sacramentum Confirmationis: Evcharistiam Petrusiani: matrimonium Encratistæ, Albigenses extremam unctionem: Lutherani negant transubstantiationem in Evcharistia, rejiciunt confessionem auricularem,

&amp;

& e Sacramentorum catalogo expungunt Matrimonium, Confirmationem, & Ordinem: Zwingiani & Calviniani negant realem præsentiam Christi in Eucharistia: Anabaptistæ solos adultos baptizandos esse dicunt, non vero parvulos. Universæ autem cum Massilianis, Catharis, Armenis recentiores fere omnes nostrorum temporum hæretici Sacramentis dene-  
gant eorum virtutem & efficaciam, ita ut asserere ausi sint Sociniani, Sacra-  
menta aliud nihil esse, quam nudum signum,  
quo Christianus a Gentili vel Judæo distin-  
guatur: Anabaptistæ ea solum esse alle-  
gorias morum & bonorum operum, qui-  
bus pie ac religiose vivere admoneamur:  
Zwingiani Sacraenta duntaxat esse pi-  
gnus quoddam, quo homines initiantur,  
& Christo ejusque militiae se se obstrin-  
gunt: Lutherani totam illorum efficaciam  
constituunt in eo, quod sint testimonia  
quædam publica divinæ promissionis, qui-  
bus certi ac securi reddimur de obtinen-  
da gratia per fidem in Christum, quam  
solam ad salutem sufficere docent: Calvi-  
nistæ contendunt esse symbola externa, &  
sigilla, quibus Dominus promissiones fa-  
etas in conscientiis nostris obsignat. Sed  
contra hos omnes opponunt Theologi do-  
gma Catholicum, quod Sacraenta no-

væ legis contineant & cauſſent gratiam ſanctificantem, ut loquitur Florentinum Concilium, & Tridentinum (c) anathema dicit: *Si quis dixerit, Sacra menta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non con ferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per fidem gratiæ & iuſtitiæ, & notæ quædam pro fessionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus.* Atque hanc gratiam cauſſant ex opere operato, ut ibidem can. 8, definiit idem Concilium, unde ſimul patet, fructum hunc Sacra mentorum novæ legis non ex probitate aut fidei ministri pendere, ſed ab iphis Sacra mentis tanquam cauſis instrumen talibus; cauſa enim principalis ſolus eſt Deus. Post hæc Theologi examinant eſſentiam physicam Sacra mentorum, & demonſtrant, omnia ex rebus & verbis tanquam materia & forma conſtare, di cente Auguſtino (d): *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacra mentum.* Com munius autem negant intentionem Mi niſtri, qua vult facere, quod facit Ec clesia, eſſe partem Sacra menti, ſed dun taxat requiſitum aliquod, quemadmodum intentio ſuſcipientis. Porro declarant, qua-

(e) *Sess. 6. can. 6.* (d) *Tract. 8. in Ioan.*

qualem materiam & formam cuiuslibet Sacramenti Christus instituerit, & quænam mutatio ejusdem materiæ & formæ obicit valori Sacramentorum. Disputant autem divisim agminibus inter se, ac primo quidem, an physice vel moraliter caußent gratiam Sacraenta? videtur conformior Scripturæ ac Patrum doctrinæ sententia illorum, qui moralem solummodo influxum iis concedunt, quum Patres & Scriptura eodem modo de Sacramentis, ac de sanguine & passione Christi loquantur, scilicet, quod *sanguis emundet, lavet a peccatis &c.* non autem potest sanguini ac passioni Christi physicus influxus tribui, alias caußarent physice, quando physice non existunt. Secundo, an æqualiter dispositis Sacraenta conferant gratiam æqualem, id quod longe communior Auctorum adfirmsat, nixus auctoritate Tridentini (e) dicentis, *homines justificari unumquemque secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Et tunc ordo gratiæ secundum Theologiae placitum imitatur ordinem naturæ, atque Sacraenta se habent instar caußarum naturalium, quæ in subjectis æqua-

æqualiter dispositis æqualem effectum producunt, secus inæqualem.

## CI.

Ulterius exponunt Theologi discrimen multiplex, quod inter sacramenta intercedit. Sunt enim & vocantur aliqua sacramenta mortuorum, uti baptismus & pœnitentia, quæ scilicet per se sunt instituta, ut homini per peccatum mortuo restituant vitam spiritualem seu gratiam sanctificantem; alia vivorum, uti reliqua sacramenta, quæ nimirum per se loquendo administrari debent foliis membris Ecclesiæ vivis, id est, existentibus in statu gratiæ: per accidens tamen etiam hæc sacramenta quandoque producunt primam gratiam, idque in tribus præsertim casibus: primo quando quis cum invincibili ignorantia se in statu peccati gravis versari, accedit bona fide ad hæc sacramenta: secundo, quando quis confessus cum sola attritione non valide absolvitur vel ob defectum jurisdictionis vel intentio-  
nis: tertio quando quis conscius peccati conatur elicere contritionem, & solum pertingit ad attritionem, deestque sacerdos, cui confiteatur. Porro alia Sacra-  
menta sunt, quæ iterari non queunt abs-  
que sacrilegio, & hæc characterem im-

pri-

primunt, uti baptismus, confirmatio & ordo: alia quæ iterari possunt, ut reliqua Sacra menta, quæque characterem non imprimunt. Est autem character signum quoddam spirituale impressum animæ, per quod homo deputatur speciali modo ad cultum dei, & ab aliis distinguitur, estque indelebilis non solum in hac vita, sed probabilius etiam in altera, ita ut remaneat in beatis ad ornamentum, in damnatis vero ad opprobrium. De Ministro Sacramentorum sat is convenient Theologi, quod peccatum mortale per se loquendo committat Minister ad id consecratus aut specialiter deputatus, si conficiat sacramentum, sibi conscientius gravis peccati, quum maximam sane irreverentiam exhibeat rei sanctissimæ, ad quam rite ac sancte peragendam speciali modo vi Ordinis suscepit est deputatus, quæque moraliter est actio ipsius Christi, cuius sanguinem & merita continet. Sacerdos omnis, qui accessit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino (f). An autem Laicus v.g. baptizando in casu necessitatis mortali crimine obstrictus peccet graviter, multi negant, quia Laicus in hoc casu conficit sacramentum non

non ut Minister per se & specialiter ad id deputatus, sed per accidens in defensu Ministri ab Ecclesia deputati: affirmant alii, quia sancta sancte tractanda sunt, & Laicus quoque heic agat ut Vicarius & Legatus Christi, eademque moraliter cum Christo persona sit. De Diacono & Subdiacono propria ordinis sui ministeria in statu peccati mortalis exereentibus rursus discrepant Theologi, quorum aliqui peccatum grave committi afferentes Apostoli verba allegant (g) de hujusmodi dicentis, *ut ministrarent nolunt crimen habentes*: Communius vero alii contrarium sentiunt, quia in illorum ministeriis nulla intervenit confessio aut administratio sacramenti, si Eucharistia distributionem excipias, quae ab omnibus censetur actio religiosissima & sanctissima, quum ipsum Christum omnis sanctitatis auctorem contineat. Peccare autem graviter per se eum, qui ex officio ministrat Sacramentum illi, quem vere indignum scit accedere, certa est sententia, monente S. Scriptura: *nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* (h). & Apostolo dicente: *Hic jam queritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (i). Quare

(g) 1. Timoth. 3. (h) Matth. 7. (i) 1. Cor. 4.

re peccatori publico & notorio, puta usurario, sicariis, publicis meretricibus neganda sunt Sacra menta, etiam publice penitentibus: At peccatori, qui privata & occulta notitia indignus esse scitur, si publice petat, nec repelli possit nisi cum gravi infamia & aliorum scandalo, administrandum est Sacramentum; nec enim talis Minister cooperari censendus est alterius peccato, & exemplum Christi sequitur, qui nec proditionem suum a sacra mensa rejicit. Quod autem ad fidem Ministri adtinet, hanc in eo non requiri docent, quemadmodum definitum fuit contra varios hæreticos, in quo errore etiam aliquamdiu cum Episcopis Africaniis S. Cyprianus versabatur, contendens denuo baptizandos esse illos, quibus baptismus ab hæreticis fuisset collatus; sed meliora edocitus a Cornelio Papa errorum depositus, ac veræ Ecclesiæ fidem martyrio obsignavit. Multo minus ad valorem sacramentorum requiritur sanctitas aut probitas Ministri quemadmodum docuerunt Donatistæ, Albigenses, & Wiccleffus, qui etiam prædestinationis pignus in Ministro necessarium esse duxit. Verum prava istorum dogmata a Conciliis Constantiensi & Tridentino condemnata fuerunt; & merito, quum parum Ecclesiæ

siae consuluisset Christus, si valorem sacramentorum a probitate Ministri voluisset pendere, atque ita innumeris de valore dubiis locum fecisset.

His expeditis pergunt Theologi ad intentionem, qualis in Ministro requiratur, ut Sacraenta rite administret; docentes in primis contra Lutherum & Calvinum, aliosque, non sufficere ad valorem Sacramenti, si minister ponat materiam & formam, ritumque externum sine intentione faciendi sacramentum, sed quod requiratur seria intentio ac voluntas faciendi quod Christus instituit, aut Ecclesia facere intendit. Hoc enim requirunt Concilia Florentinum ac Tridentinum, & Alexander VIII. damnavit propositionem numero octogesimam octavam: *ut let baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.* Et revera Minister heic sustinet & agit personam Christi, qui non voluit ponere solas actiones externas ut tales, sed eas ad rationem sacramenti, & ad conferendam gratiam justificantem elevare intendit. Hæc autem intentio non sufficit, ut sit mere habitualis; non tamen est necessaria actusalis, dum conficiuntur;

alias

alias ob instabilem imaginationis humanæ conditionem, & frequenter occurrentes animi evagationes sacramenta ut plurimum periculo nullitatis exposita, immo invalida forent. Quis autem cogitare ausit, Christum cum talis intentionis conditione tot periculis subjecta sua instituisse sacramenta? Sufficiet igitur virtuialis, quæ tunc adeſt, quando vi præcedentis intentionis actualis certa actionum non interrupta serie fit id, quod erat intentum.

§. XIII.

*Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ  
& Eucharistia.*

CII.

A Sacramentis in genere via patet ad Sacra menta in specie. Ex his, dum partim Theologia moralis partim Jus quoquoque sacrum abunde tractet, duo præcipue pro fero suo examinanda sibi selegit Theologia Scholastica, nimirum Pœnitentiam & Eucharistiam. Ad Pœnitentiam quod adtinet, de ejus necessitate ad salutem docent Theologi, quod absolute quidem remitti possit peccatum mortale sine omni pœnitentia, quum non adpareat, cur deus in alia providentia non possit cedere jure suo ad hominem odio

odio habendum ratione peccati præteriti, atque per viam gratuitæ condonationis remittere, quamvis hic illud non retrahet per pœnitentiam: de lege Dei ordinaria tamen, & in hac providentia id fieri negant, dicente Scriptura; *si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (k) ac Tridentino (l) *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria.* An autem statim (moraliter loquendo) post commissum peccatum agi de hoc pœnitentia debeat, disputant inter se, Recentioribus plerique negativam sententiam contra Antiquiores tenentibus, quum obligatio ista nimium difficilis esse videatur, quoniam plerumque non datur statim confitendi copia, & extra Sacramentum contritus requiratur, quam elicere confessum peccatori, præsertim inveterato, aut ardente adhuc concupiscentiæ astu res est omnino ardua: neque etiam pœnitentes de transgressione hujus præcepti se accusant, nec Confessarii interrogant aut monent, quod fieri deberet, quum esset juris divini, & quidem naturalis obligatio: per accidens tamen hanc dari haud negant v.g.

(k) *Luc. 13.* (l) *Seff. 14. c. 1.*

in periculo amittendæ vitæ, aut si Sacramentum sit conficiendum vel suscipiendum. Porro ostendunt relapsis post baptismum pœnitentiæ sacramentum esse necessarium non solum necessitate præcepti tam divini quam Ecclesiastici, sed etiam necessitate medii vel in re vel in voto, quando re ipsa suscipiendi occasio non se offert: constat enim posse peccatorem justificati per contritionem perfectam, ita tamen ut justificatio secundum Tridentinum (m) non sit adscribenda *contritioni*, nisi quantum continet votum Sacramenti. Est autem institutum hoc sacramentum a Christo post resurrectionem suam, quando discipulis *insufflavit* dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Neque institutum solummodo est quoad potestatem absolvendi, sed etiam quoad ritum peccata distincte confitendi, quem ritum heterodoxi contra fidem omnis antiquitatis asserunt ab Innocentio III. in Ecclesiam fuisse introductum, quod falsum esse luculentiter ostendunt Theologi. Partes autem pœnitentiæ non sunt terrores animo a lege incussi, fides, aut omnia opera bona, quæ post justificationem fiunt, uti volunt Lutherani: neque mortificatio & vivificatio

(m) *Sess. 14. c. 4.*

vitatio in sensu Bezzæ & Calvini acceptæ, sed contritio, confessio, absolutio & satisfactio. Circa primam partem seu contritionem imprimis docent Theologi contra Bajum, Jansenium, Molanum, Esthium, paucosque alios, perfectam contritionem sive dolorem de peccatis propter Deum super omnia dilectum habere infallibilem vim remittendi peccata, etiam extra Sacramentum. Dicit enim Scriptura (n) *cum ingemueris, tunc salvus eris.* Ubi particula *tunc* sensum facit, quamprimum ingemueris, salvus eris. Nam *justitia justi, ait Ezechiel (o) non libabit eum, in quacunque die peccaverit.* Et *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Est nimurum omnis perfecta contritio vera Conversio ad Deum: omni autem veræ conversioni ad Deum promissa est a Deo peccatorum remissio. Hinc inter alias damnata fuit hæc Bajii propositio: *per contritionem etiam cum charitate perfecta, & votis suscipiendi sacramentum conjuncta non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Dein contra Adrianum, Sotum, & quosdam Doctores Belgas ostendunt ad contritionem perfectam non requiri

quiri intensionem seu absolute seu compara-  
rate summam, aut certum intensionis gra-  
dum valde magnum & soli Deo cognitum,  
quum nec Scriptura, nec Tridentinum  
tale quid requirant, sed tribuant vim ju-  
stificandi simpliciter contritioni, dum cha-  
ritate perfecta est, scilicet dum nititur mo-  
tivo charitatis. Sufficit ergo, si appretia-  
tive summa sit, hoc est, detersetur pec-  
catum super omnia mala. Ulterius do-  
cent, contritionem perfectam sicutem im-  
plicite aut virtualiter debere se ad omnia  
peccata mortalia extendere, eaque effica-  
citer detestari. Scriptura enim requirit,  
*ut impius agat pœnitentiam ab omnibus  
suis peccatis, & ut convertat se ad Deum  
ex toto corde:* estque certum Theologo-  
rum dogma, nullum peccatum mortale  
in hac providentia remitti sine altero, quum  
remissio fiat per infusionem gratiæ sanctifi-  
cantis, quæ cum peccato mortali stare  
nequit. Subtiliter postmodum disputant  
inter se, num contritio perfecta debeat  
peccatum mortale magis detestari, quam  
omnia alia mala? num etiam plusquam  
malum pœnæ æternæ seu inferni? & qua-  
ratione hoc fieri possit? utilius vero, an  
peccata semel per pœnitentiam deleta  
post relapsum, & an merita per peccatum  
mortificata per pœnitentiam reviviscant?

Ad primum respondent, peccata semel remissa nunquam redire sive quoad culpam, sive quoad pœnam, testante S. Scriptura, ea per pœnitentiam dealbari sicut *nix* (p), *mundari*, *deleri* (q), *projici in profundum maris* (r). Certe Synodus Tridentina de peccato originali docet (s) illud per baptismum ita tolli, ut nihil ejus remaneat: & Gelasius Papa (t) *Divina clementia, inquit, reinissa peccata in ultiorum ulterius redire non patitur.* Quando autem Scriptura dicit, quod *in memoriam redeat iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini* (u), intelligunt istud SS. Pates & Interpretes de pœnis quibusdam temporalibus hucusque dilatis. Ad secundum docent, merita per peccatum mortificata (hoc est, impedita a suo effectu, qui est hominem perducere ad vitam æternam) per pœnitentiam reviviscere, & quidem integre ac perfecte ad totum præmium essentiali gratiæ ac gloriæ, ita ut tota gratia per peccatum amissa in instanti justificationis pœnitenti restituatur. Colligunt hoc tum ex Apostolo (x) dicente de iis, qui multa passi sunt, & post baptismum relapsi: *Tanta passi*

(p) *Isai. 1.* (q) *Psalms. 50.* (r) *Miche 7.*(s) *Seff. 5.* (t) *De Pœnit. dist. 4. c. ult.*(u) *Psalms. 108.* (x) *Ad Galat. 3.*

*passi estis sine caussa, si tamen sine caussa,* quasi diceret secundum Patres & Interpretes, *non plane sine caussa, quum passio-* nis vestræ fructus redire per pœnitentiam possit: tum ex Tridentino (y), quod sine exceptione *nihil amplius ait justificationis deesse, quo minus operibus, quæ in Deo facta sunt (id est in statu gratiæ)* vitam æternam suo etiam tempore, *si tam-* men in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. Et re ipsa in pœnitentiæ instanti totum tollitur im- pedimentum gratiæ; cur ergo hæc tan- quam caussa supernaturalis non exerat rotam suam efficaciam, uti faciunt caussæ naturales remoto obice? Magnum utra- que hæc sententia peccatoribus vere pœnitentibus solatum afferre potest. A con- tritione ad attritionem divertunt Theolo- gi, quæ est detestatio peccati concepta ex motivo timoris pœnæ æternæ, vel de- siderii vitæ beatæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex motivo super- naturali alterius virtutis charitate inferio- ris: monstrantque primo, attritionem ex metu pœnæ vel desiderio salutis æternæ conceptum esse actum honestum tum ex Scriptura, quæ passim hortatur ad ejus- modi timorem & desiderium, atque exem- pla

pla proponit eorum, qui vel metu pœnarum vel spe præmiorum inducti sunt ad peccati fugam: tum ex Concilio Tridentino (z), quod contra Lutherum definiit, contritionem illam, quæ ex metu gehennæ & pœnarum concipitur, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam dei donum esse, & Spiritus Sancti impulsum, & ad gratiam Dei in Sacramento impertrandam disponere. Secundo, eandem attritionem excludere posse voluntatem peccandi, uti rursus constat tum ab exemplis in S. Scriptura allatis, tum ex Tridentino, quod loco citato dicit: *attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe venia, esse donum Dei &c.* ad eoque supponit, posse illam excludere voluntatem peccandi. & cur non possit hoc pœnæ æternæ metus, quum metus, pœnarum temporalium hoc queat efficerre? Tertio demum ostendunt, attritionem superius descriptam sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ valide & cum fructu suscipiendum, esseque sententiam hanc practice tutam ex communissima Ecclesiæ praxi & tacita summorum Pontificum adprobatione. Quippe Tridentinum, ubi contritionem esse partem dicit

cit hujus Sacramenti, dividit illam in contritionem perfectam ex motivo charitatis, & in attritionem ex consideratione turpitudinis peccati, aut metu gehennæ, & poenarum conceptam. censet igitur, utramque esse partem hujus Sacramenti: immo subjungit statim hæc verba, & quamvis sine Sacramento pænitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pænitentia impetrandam disponit. Quare ad mentem Tridentini homo dispositus per attritionem accidente Sacramento, illiusque virtute justificatur. Quo tamen non obstante dum ajunt sufficere attritionem ex metu gehennæ &c. negare non intendunt, tum quod consultius sit, excitare contritionem perfectam, tum quod attritio debeat includere initialē aliquem Dei amorem; id solum negant, quod hic amor initialis sit necessario distinctus ab amore concupiscentiæ.

Circa secundam partem seu confessio-  
nem dogma est Catholicum, quod sit iure  
divino præcepta, uti constat tum ex Chri-  
sti verbis: quorum remiseritis peccata,  
remittuntur illis, quorum retinueritis,  
retenta sunt. hæc enim potestas remit-  
tendi peccata non posset in usum redi-

gi, si non esset necessaria confessio: tum ex Conciliis, & unanimi Patrum consensu, tum ex perpetua praxi Ecclesiæ non solum Latinæ, sed & Græcæ, uti ostendunt Theologi. Quoad modum Confessionis audiendum est Concilium Tridentinum (a), ubi inter alia sic loquitur: „ Unde cum „ a sanctissimis & antiquissimis Patribus „ magno unanimique consensu secreta „ Confessio Sacramentalis, qua ab initio „ Ecclesia sancta usâ est, & modo uti- „ tur, fuerit semper commendata, ma- „ nifeste refellitur inanis corum calum- „ nia, qui eam a divino mandato alienam, „ & inventum humanum esse, atque a „ Patribus in Concilio Lateranensi con- „ gregatis initium habuisse docere non „ verentur &c. „ Materiam confessio- „ nis necessariam esse omnia & sola peccata „ gravia post baptismum commissa, & nec- „ dum in S. Tribunal rite exposita, ea- „ que ex præcepto divino distincte quoad „ speciem & numerum exponi debere, con- „ veniunt omnes Theologi. controversia „ vero magnis partium studiis agitatur & „ circumstantiis intra eandem speciem no- „ tabiliter aggravantibus: item de peccatis „ negative ut vocant dubiis. Quoad cir- „ cumstantias utraque pars auctoritate Con- „ cilii

(a) *Sess.* 14. c. 5.

ciliī se tuetur; qui adfirmant, eam inquiunt ex mente Concilii confessionem requiri, ex qua possit Confessarius recte judicare de criminum gravitate, & pœnas eorum merito proportionatas imponeare, quod fieri non posset, si prædictæ circumstantiæ non declararentur: qui negant, ajunt non esse credibile, quod si hæc obligatio daretur, Concilium nullam de his circumstantiis mentionem fecerit, quum tamen promiserit in procēmio sessionis decimæ quartæ, exactam & plenam se notitiam de iis, quæ ad confessiōnem requiruntur, daturum esse: cæterum absque harum confessione sufficiens quoad substantiam judicium a Confessario ferri posse. non minus de peccatis dubiis controversia est inter Doctores, utrum si negative dubia sint, hoc est, si non habeatur positiva & sufficiens ratio in utramque partem, an commissum fuerit peccatum mortale, aut an quod commissum est, sit mortale, nec ne, num exponi de novo debeant. in hac genina controversia sententia adfirmans dari obligationem multis probabilior, negans nihilominus vere ac theologice probabilis esse videtur: praxis tamen timoratorum hominum pro confirmante potius stat, quam pro negante. Præterea do-

cent Theologi, quamvis per se loquendo requiratur confessio materialiter integra, pro casu tamen, quo haec moraliter aut physice possibilis non est, sufficere ad valorem & fructum Sacramenti confessionem solum formaliter integrum: & hinc si moribundus nullum peccatum in specie potest confiteri, satis esse, & in genere dicat, se peccasse.

Quantum ad tertiam partem, adtinet, scilicet absolutionem, unanimis modo contra quosdam antiquos Theologorum consensus est, per absolutionem sacramentalem vere remitti peccata quoad culpam: immo Tridentinum (b) anathema dicit illi, qui dixerit absolutionem *Sacramentalem esse nudum ministerium pronunciandi & declarandi, peccata esse remissa.* Quodsi moribundus sit sensibus destitutus, dederit tamen aliqua signa doloris, & vel per se vel per alium ostenderit desiderium confessionis vel absolutionis, a superveniente *Confessario* potest ac debet absolviri: si autem nullo signo hoc desiderium suum manifestavit prius, absolutionem huic impetriri non licere communiter docent Auctores, quamvis non audeant in praxi condemnare oppositam sententiam, quae tenet, talem moribun-

(b) *Seff. 14. can. 9.*

ribundum, dummodo vitæ signum adhuc edat, & aliunde nihil obstat, non vide ri destituendum beneficio absolutionis sub conditione dandæ.

Ad quartam partem seu Satisfactionem respondent, sine manifesto errore negari non posse, sæpe remissa jam culpa remanere adhuc reatum pœnæ temporalis. hinc palam est, rite confessis salubriter imponi opera quædam pœnalia, quibus vere ac proprie satisfieri potest pro reatu pœnæ temporalis, qui expiandus adhuc est. Quare agunt heic Theolo de indulgentiis, quas ad eundum ei eundum quam maxime conducere contra Montanistas, Waldenses, Lutherum & Calvinum, qui omni potestate indulgentiarum Ecclesiam Christi spoliatum ivere, ex antiquissimo ejusdem Ecclesiæ usu ac traditione perpetua, atque ex Concilii Tridentini doctrina solide demonstrant.

### CIII.

A Sacramento pœnitentiæ sic explicato transferunt se Theologi ad Sacramentum Eucharistie, quod definiunt esse Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem institutum. Hujus partes constitutivas esse docent præter

corpus & sanguinem Christi etiam species panis & vini: unum tamen specie Sacramentum, integrum & completum esse, quemadmodum cibus & potus unam integrum corporis refectionem constituant. Tum ostendunt contra hæreticos, in Eucharistia vere & realiter ac substantialiter contineri corpus & sanguinem Christi Domini, idque ex ipsis verbis Christi, uti ea semper intellexit tota Ecclesia Catholica: neque consistere solum in usu hoc Sacramentum, sed Christum in eo existens etiam ante ac post usum, uti Cœl. 1<sup>o</sup>. definierunt, & Patres semper tenuerunt, & a temporibus Apostolorum Fideles semper adorarunt præsentem in hoc Sacramento Christum Deum hominem. Certe per omnes Ecclesiæ ætates eunti testimonia occurrunt laculenta. In I Seculo S. Ignatius Martyr (c) dicit: *Eucharistiam esse carnem Salvatoris.* In II. (Jus. nus Martyr (d) afferit: *Christianos nutriti carne Dei incarnati.* In III. S. Cyprianus: *in Eucbaristia porrigi panem non effigie, sed natura mutatum (e).* In IV. S. Hilarius (f) sic loquitur: *Si vere verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus.* In V. Chry-

(c) In epist. ad Smyrnenses. (d) Apol. 2.

(e) in serm. de cœn. Dom. (f) L. 8. de Trinit.

Chrysostomus (g) carnes suas, inquit, nobis tradidit Christus, semetipsum immolandum proposuit. Hoc eodem seculo multa exstant testimonia Hieronymi, Augustini, Cyrilli Alexandrini &c. Ut taceam reliqua secula, quorum hac de re monumenta late refert Bellarminus (h) a Seculo V. usque ad XI. vix fuit aliquis hæreticus, qui hanc de præsentia Christi in Eucharistia doctrinam ausus sit in dubium vocare; adeo fuit pacifica possessio de fide tanti mysterii usque ad Berengarii tempora. Hic Andegavensis Archidiaconus sub finem Seculi XI. primus omnium Sacramentariis vexillum prætulit, dum corpus & sanguinem Christi vere ac substantialiter in Eucharistiæ sacramento contineri negavit, afferuitque hoc solummodo umbram esse ac figuram, qua corpus Christi & sanguis significaretur. Verum impia hæc doctrina damnata fuit in Concilio Romano sub Leone IX. & in Concilio Turonensi, ac Romano altero an. 1059. ubi Berengarius plene convictus hæresin abjuravit, cuius reliquias postmodum velut e stercore Calvinus collegit. Tum multis probant Theologi dogma Catholicum, scilicet non

(g) Hom. 5. in Matth.

(h) toto libro 2.  
de Euchar.

manere in hoc Sacramento substantiam panis & vini, remanentibus licet illarum speciebus; ubi bellum grammaticale movent hæretici circa sensum harum vocum: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.* Sed Catholicorum alii intelligunt & exponunt *Hoc*, id est, quod Christus in manibus habebat, quodque sub panis speciebus delitescebat, quodque porrigebat Apostolis, & antea fuit substantia panis, nunc autem est Christi corpus & panis Eucharisticus secundum illud Joannis (i) *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Alii per particulam hoc panem verum & materialem indicari volunt, qui vi horum ipsorum verborum actu transit in corpus Christi, non quod sit panis, sed quod fuerit: sicut serpens, in quem virga Mosis conversa fuit, virga vocatur (k). alii etiam figuram speciemque panis intelligunt, quæ pristinum nomen retinet. Eadem res est & explicatio vocum: *Hic est sanguis meus.* Solutis postmodum reliquis hæreticorum argumentis, expeditisque varijs circa materiam & formam quæstionibus inter ipsos Catholicos controversis, docent cum Tridentino (l) vi verborum sub specie panis ponit

(i) C. 6. (k) Exod. 7. (l) Sess. 13.  
c. 3.

poni corpus, sub specie vini vero sanguinem Christi: sub utraque autem existere corpus, & sanguinem, & animam *vis* naturalis illius connexionis, ut loquitur Concilium, & concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem vero propter admirabilem illius cum corpore & anima hypostaticam unionem. Non minus probant in Sacramento Eucharistiae dari veram conversionem totius substantiae panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, quae *Conversio*, secundum Tridentinum, convenienter & proprie a S. Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata. Procul igitur recedat Lutherus cum sua, quam somniauit, famosa impanatione, seu præsentia Christi in, cum, & sub pane.

Circa Transsubstantiationem commen-  
nissimus Theologorum & fidelium sensus  
est, substantiam panis & vini post con-  
secrationem destrui, & in nihilum redigi;  
de qua re Suarius (m) asserere non dub-  
itat; pro comperto babuit Ecclesia Dei ab  
Spiritu S. edocita, simpliciter non manere  
in rerum natura has substantias, & con-  
trariam opinionem esse valde tenerariam,  
Post

(m) Tom. 3. in 3. p. diff. 49. sect. 3.

Post hæc disputant Theologi de effectibus S. Eucharistiae: inter alias gravior quæstio occurrit, an duæ species in communione sumtæ plus cauissent gratiæ, quam una. Plures Doctores inclinant in partem negativam, creduntque sententiam hanc suam valde aptam esse ad refellendos nostri temporis hæreticos, extorquere intentes etiam pro Laicis communionem sub utraque specie, dantque rationem, quia sub una continetur totus Christus, qui Auctor est & fons gratiæ, non minus, quam sub utraque. Circa necessitatem ejusdem Sacramenti tradunt, eam neque in re neque in voto necessariam necessitate medii; non parvulis, quibus gratia confertur, quin Sacramentum hoc suscipiant; non adultis, quia ad salutem obtinendam sufficit status gratiæ, ad quem tamen non est necessaria sumptio Eucharistiae, quum hoc sit Sacramentum vivorum, atque ita supponat statum gratiæ: esse tamen necessariam necessitate præcepti, ut patet ex Jure Ecclesiastico (n), ubi præcipitur Paschalis communio sub gravissima poena, videlicet ut transgressores arceantur vivi ab ingressu Ecclesiæ, & mortui preventur sepultura Ec-

(n) C. omnis utriusque sexus 12. de penit. & remiss.

eleasticæ: neque solum in Paschate quo-vis anno, sed in articulo mortis quoque communionem esse præceptam communiter docent Auctores, quum in eo articulo maxima sit necessitas, statque pro hac sententia fidelium ac Ecclesiæ communissimus usus est enim hoc Sacramen-tum institutum tanquam viaticum, & præfiguratum fuit per agnum Paschalem ac manna, quæ data sunt Israelitis in nutrimenten pro grandi itinere, quo grandius haud est, quam æternitatis iter. Demum quæstionem agitant satis celebrem, an sit necessaria communio sub utraque specie. Hoc asserebant Hussitæ, qui summa importunitate usum calicis a Sede Apostolica ad tempus obtinuerunt, sed paulo post, quum pertinacissime propugnarent, quod jure divino necessarius sit, eo rursus privati sunt. Contra hos aliosque hæreticos, nullam dari necessitatem demonstrant Theologi tum ex verbis Christi, qui vitam æternam promisit su-mentibus Eucharistiam sub sola specie pa-nis: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (o).* Et rursus: *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Videturque ipse Servator discipu-lis euntibus in Emmaus porrexisse Eucha-ristiam

(o) *Johann. 6.*

6:2 Cap. VII. *Oeconomia*

ristiam sub sola panis specie: tum ex Conciliis Constantiensi, Basileensi ac Tridentino: tum ex traditione Ecclesiæ, quæ tale præceptum nunquam agnovit: immo ferventibus in Christianos tempestibus solebat post sacrificium iisdem tradere Eucharistiam sub sola specie panis domum preferendam, ut opportuno tempore ac instante lucta cum tyranno ad constantiam ea sumta animarentur: quin etiam primis seculis Eucharistia sub sola specie panis adservabatur pro ægratis: denique jam tempore Apostolorum ut sub una specie sumeretur a Christians Eucharistia, in usu positum erat, quemadmodum colligitur ex actis Apostolorum (p): *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus, nulla facta calicis mentione.* Cæterum ad calcem utriusque Tractatus de Sacramentis illud notatu dignum occurrit, quod Theologi in stabiliendis suis doctrinis fere ubique & potissimum partem Conciliorum auctoritati innitantur, quorum est S. Scripturæ sensum interpretari ac declarare. Primis octo Conciliis Oecumenicis Orientalibus debemus fidem SS. Trinitatis & Incarnationis: fidem vero

vero Sacramentorum ab Ecclesia Occidentalī firmius stabilitam accepimus per multa Concilia, præcipue per Constantiense, Florentinum, ac Tridentinum. Primum damnavit errores Wicleffi, Joannis Hus, & Hieronymi Pragensis in materia Sacramentorum Ordinis, Eucharistiae, Baptismi &c. multa quoque sanxit, quæ Lutheri, Calvinii, & sequentium hæreticorum circa sacramenta doctrinæ præjudicant. Secundum doctrinam Catholicam de numero, materia, & forma Sacramentorum accuratius pertractavit & definitivit, nemine præsentium, etiam Græcorum, reclamante. Tertium omnium temporum errores profligavit, præcipue Sacramentariorum, & inconcussa de Sacrementis dogmata tradidit, atque decretis & canonibus editis confirmavit.

§. XIV.

*Scriptores Theologiae Scholasticæ.*

CIV.

**S**upereft, ut pro instituti mel ratione in medium producam Auctores illos, qui Theologiam Scholasticam, cujus synopsin exhibui, doctis commentariis ac libris illustrarunt; non quidem omnes,

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XII. Rr ut-

ut pote quorum, præsertim Patrum antiquorum, catalogus vel solus ingens volumen conficeret, sed ex iis duntaxat vel magis notos, vel præstantiores, qui post S. Damascenum & D. Anselmum, ac Magistrum sententiarum, Petrum Lombardum, quos primos Theologiæ Scholasticæ, ut nunc tractatur, fundatores adpellare licet, scriptis suis vel eam universam, vel maxima ex parte complexi sunt. Hos inter primum ac principem locum merito obtinet Seculo XIII. Doctor Angelicus, D. Thomas Aquinas, qui quatuor sententiarum libros, tanquam totidem Magistri sententiarum libris respondentes Commentarios, conscripsit, quos postmodum in breviorem summam omnibus notam rededit . . . Hunc ætate ac magisterio præcessit R. Albertus M. qui commentarios in quatuor libros sententiarum, & duas partes summæ theologicæ edidit. . . . Alexander Hales, seu Halensis, Ordinis Minorum primus Theologiæ Doctor, qui summam Theologiæ universæ in quatuor partes distributam jussu Papæ Innocentii IV. conscripsit, quam eandem esse cum commentariis in IV. libros sententiarum, qui eidem attribuuntur, Natalis Alexander contra Waddingum contendit. . . . Gulielmus Parisi-

risinus Episcopus, qui de omni fere materia Theologica doctas lucubrationes posteritati reliquit . . . S. Bonaventura Ord. Min. S. R. E. Cardinalis in quatuor libros sententiarum commentatus est.

Seculo XIV. scripserunt: Joannes Duns, cognomento Scotus, Doctor subtilis Distinctiones in quatuor libros sententiarum, quæ opus Anglicum seu Oxoniense vocantur . . . Durandus a S. Porciano Ord. Præd. Commentaria in libros quatuor sententiarum, satis docta, quamvis aliqua in iis a communi Doctorum sententia discedant, aliqua etiam ab Ecclesia improbata fuerint . . . . Joannes Baco, Ordinis Carmel. Doctor Resolutus Quæstiones in IV. Libros sententiarum . . . Petrus Aureolus, Ord. Min. Compendium Theologiæ in octo libros partitum, quod Trithemius existimat esse commentarium, quem in IV. Libros sententiarum edidit . . . Gulielmus Ocham seu Ockamus, Ord. Min. sectæ Nominalium Auctor, Quæstiones in quatuor libros sententiarum, & Centiloquium Theologicum . . . Gregorius de Arimino Ord. Eremit. S. Aug. Commentaria in I. & II. librum sententiarum.

Seculo XV. scripsierunt: Petrus ab Aliaco, Cameracensis Episcopus, dein Cardinalis, commentarios breves in IV. libros sententiarum, & Quæstiones seu principia in eosdem. . . . Joannes Charlierius de Gerson, Cancellarius Parisiensis, compendium Theologiæ. . . . Joannes Capreolus Ord. Præd. commentaria in IV. libros sententiarum. . . . Raynerius Pisanus Ord. Præd. summam universæ Theologiæ. . . . S. Antoninus Ord. Præd. Archiepiscopus Florentinus, summam theologicam in quatuor partes divisam.

Seculo XVI. scripserunt: Thomas de Vio, patria Cajetanus, Cardinalis, Commentaria in totam summam D. Thomæ.... Dominicus Sotus, Ord. Præd. commentaria in Quartum sententiarum & libros decem de Justitia & Jure. . . . Bartholomæus a Medina, Ord. Præd. Commentaria in D. Thomæ primam secundâ ac tertiam partem. Tom. duos. . . . Franciscus Victoria Ord. Præd. in universam Summam D. Thomæ Relectiones tredecim, in duos Tomos divisas. . . . Melchior Canus Ord. Præd. duodecim libros de locis Theologicis, & Relectiones duas, unam de Sacramentis in genere, alteram de Sacramento pœnitentiæ. . . . Ludovicus Molina S. J. celebrem librum de Concordia

dia gratiæ & liberi arbitrii præter sex  
tomas de Jure & Justitia.

Seculo XVII. scripserunt: Dominicus Bannes Ord. Præd. duos Tomos Disputationum in primam, & secundam secundæ D. Thomæ . . . Gregorius Valentia S. J. in summam D. Thomæ Tomos quatuor . . . Gabriel Vasquez S. J. Tomos decem Theologiæ Scholasticæ & Positivæ . . . Franciscus Suarius S. J. Doctor Eximus, & Theologus vix ulli secundus universam Theologiam Scholasticam Tom. octodecim . . . Paulus Nazarius Ord. Præd. Commentaria in D. Thomam Tom. quatuor . . . Petrus Ledesma Ord. Præd. Summam Theologicam, & de divinæ gratiæ Auxiliis . . . Leonardus Lessius S. J. libros quatuor de Jure & Justitia, quatuordecim de perfectionibus divinis, & Providentia, de summo bono, de gratia efficaci & prædestinatione . . . Martinus Beccanus S. J. Tom. sex Theologiæ Scholasticæ . . . Didacus Ruiz de Montoya S. J. Tomos quinque de Dei scientia, & voluntate, Trinitate, Prædestinatione, & Providentia. . . . Hieronymus Fasolus S. J. tomos tres in primam partem D. Thomæ . . . Adamus Tannerus S. J. in summam D. Thomæ tomos quatuor. . . . Ludovicus Mæratus S. J. tria volumina theologica

.... Philippus Gamachæus, Doctor Sorbonicus Theologiam universam tomos tres. .... Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus Theologiam universam Tom. duos. .... Gregorius Martinez Ord. Præd. commentarios in D. Thomam . . . Nicolaus Ysambertus Doctor & Socius Sorbonicus Theologiam universam , Tomos sex . . . Joannes Ildephonſus Baptista, Ord. Præd. Commentaria in S. Thomam, Tomos tres . . . Joan. Martinon S. J. Tomos quinque Theologiæ Scholasticæ . . . Joannes Poncius Ord. Min. Cursum Theologiæ Scotisticæ . . . Antonius Perez S.J. ob ingenium sublime dictus Doctor mirabilis , varios in omnem materiam Theologicam Tractatus, pluribus tomis comprehensos . . . Rodericus de Arriaga, S. J. Pragæ Theologus & Academiæ Cancellarius universam Theologiam, Tomos octo . . . Gregorius de Rhodes S.J. Theologiæ Scholasticæ Cursum, Tomos duos . . . Joan. Baptista Gonet, Ord. Præd. Clypeum Theologiæ Thomisticæ, Tomos sex . . . Franciscus Amicus S. J. in Collegiis Aquilano, Neapolitano, Græcensi & Viennensi Professor: Tomos novem Theologiæ Scholasticæ . . . Bernardus Aldreti, S. J. Theologiæ cursum, Tomos quatuor . . . Sfortia Pallavicinus S. J. Cardinalis Affertionum

num Theologicarum libros octo in quinque volumina distributos præter tomum unum Disputationum in primam secundæ D. Thomæ . . . Joannes de Lugo S. J. Cardinalis, septem Tomos Theologicæ doctrinæ . . . Theophylus Raynaudus S. J. novendecim Thomos, quorum primi quinque Theologiam continent . . . Dionysius Petavius S. J. Theologiæ Dogmaticæ Auctor primus, Tomos quinque . . . Honoratus Fabri S. J. Summulas Theologicas, earumque Tractatus novem . . . Petrus de Godoy, Ord. Præd. Theologiæ Tomos septem . . . Thomas Comptonus S. J. universam Theologiam, Tomos duos . . . Josephus Zagaglia de Ferraria, Ord. Carmel. Cursum Theologicum ad mentem Baconis, Tomos sex . . . Gaudentius Bonempti Ord. Capuc. Theologiam Scholasticam ad mentem D. Bonaventuræ, Tomos septem . . . Bartholomæus Mastrius de Medulla, Ord. Min. Disputationes Theologiæ Scotisticæ, Tomos quatuor . . . Bernardus Sannius, Ord. Min. Cursum Theologicum scholæ Scotisticæ, Tomos quatuor . . . Cœlestinus Sfondrati, Ord. S. Bened. Cardinalis, e cuius MSS. collectus fuit Cursus Theologicus Sangallenfis, tomulis decem, præter alia monumenta Theologica, quæ typis dedit . . .

Richardus Arsdekin S. J. Theologiam tri-partitam, Tom. tres. . . Sylvester Maurus S. J. Opus Theologicum distributum in tres Tomos. . . Martinus de Esparza S. J. Tomos duos universæ Theologiæ. . . . Joannes Martinus de Ripalda S. J. Tomos tres de Ente supernaturali, & unum de virtutibus Theologicis. . . Ludovicus Thomassinus, Presbyter Congr. Orat. D. Jesu, Theologiam Dogmaticam de Deo & Incarnatione Tomos duos, præter alios tres de Beneficiis. . . Collegii Salmanticensis FF. Carmelitarum Discalceatorum cursus Theologicus, Tomo duodecim. . . Joannes Baptista Du Hamel, Regiæ scientiarum Academiæ Parisinæ socius Theologiam speculativam & practicam tom. septem. . . Bonifacius Maria Grandi Ord. Præd. cursum Theologicum, Tomos tres. . . Josephus Saenz de Aguirre Ord. S. Benedicti, Theologiam S. Anselmi, Tomos tres. . . Jacobus Granado S. J. Theologiam universam, Tomos quinque. . . . Christophorus Haunoldus S. J. Theologiæ speculativæ totius libros quatuor. . . . Jacobus Platellius S. J. Synopsis Theologicam tom. quinque. . . . Thyrsus Gonzalez S. J. Præpositus Generalis, selectarum ex Theologia universa disputationum Tomos quatuor

tuor. . . . Paulus Mezgerus Ord. S. Benedicti, Salisburgensis Professor Theologiam Scholasticam ad mentem D. Thomæ, tomos quatuor. . . . Joan. Baptista Gormaz S. J. in pluribus Hispaniæ Academicis & Romæ Professor, Cursum Theologicum.

Seculo XVIII. scripserunt: Dominicus Viva S. J. Theologiam universam in octo partes distributam, editionis quartæ. . . . Joannes de Ulloa S. J. in Complutensi & Romana Universitate Professor, Theologiam Scholasticam, Tomos sex. . . . Edmundus Simonet S. J. Universitatis Muscipontanæ Cancellarius, Theologiam universam, Tomos tres. . . . Martinus Grandin, Doctor & Socius Sorbonicus, universam Theologiam, Tomos quinque. . . . Antonius Boucat, Ord. S. Franc. de Paula, Theologiam Patrum Dogmaticam Scholastico Positivam, Tomos quinque. . . . Joannes Marin S. J. Complutensis Primarius Professor, Theologiam Scholasticam, Tomos tres. . . . Franc. Ant. Kamperger S. J. Pragæ & Olomuzii Professor & Cancellarius Universitatis, Quæstiones & Responsa in universam Theologiam, Tomos duos. . . . Josephus Perimezius Ord. Min. S. Franc. de Paula, Dissertationes selectas in S. Scientiam

tiam Historicas, Dogmaticas, Theologicas, Tomos octo. . . . Honoratus Tourney, Doctor & Socius Sorbonicus, magnum inter Theologos Recentiores nomen, Praelectiones Theologicas, Tom. quatuordecim. . . . Vincentius Ludovicus Gotti Ord. Præd. postea Cardinalis Theologiam Scholastico Dogmaticam, Tom. sedecim. . . . Josephus de Aravio S. J. Ulyssiponensis Professor, Universam Theologiam, Tomos tres. . . . Antonius Mayr S. J. Ingolstadiensis Professor & Stud. Præf. Theologiam scholasticam universam, Tom. octo. . . . Aurelius Piette, Ord. Erem. S. Augustini, Theologiam, Tom. sex. . . . Fortunatus Venerius, Presbyter Congr. S. Pauli Barnabita, Theologiam universam Tom. octo. . . . Carolus Renatus Billuart, Ord. Præd. summam D. Thomæ Tom. novendecim. . . . Crescentius Crisperus Ord. S. Francisci, Theologiam scholæ Scotisticæ, Tomos quatuor. . . . Eusebius Amorth, Can. Reg. S. Augustini Cursum Theologicum. . . . Laurentius Alticotius, S. J. Summam Augustinianam, Tom. sex. Alios, qui magna cum laude ac doctrinæ fama diversa opera Theologica de variis ejusdem materiis in lucem dedere, duobus præsertim ultimis seculis, silentio præterire tum angustiæ

gustiæ loci, tum copia Scriptorum nos cogit: e sola Societate Jesu usque ad annum sexcentesimum septuagesimum quintum ultra centum enumerat Sotvellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis.



## CAPUT VIII.

THEOLOGIA HISTORICA SEU  
CONTROVERSIÆ CELEBRIORES  
THEOLOGORUM PARTIM CUM  
HÆRETICIS, PARTIM INTER  
SE IPSOS.

### §. I.

*Controversia cum Arianis.*

### CV.

**Q**uemadmodum vastis Imperiis & Provinciis, ita & late patenti regno Literario, præsertim Reipublicæ Theologicæ, nunquam bella defuerunt, partim hostilia, partim civilia. Omni fere Catholicæ Ecclesiæ seculo in armis standum erat Theologis adversus juratos ejusdem hostes, nimirum hæreticos; ultimis etiam inter ipsos lites & discordiæ non levis momenti

menti exarserunt, intra limites tamen veræ fidei, nec rupto pacis cum Ecclesia vinculo. Has omnes controversias in conspectum producere nimis longum foret: præcipuas duntaxat, quas ignorare Theologo fas non est, & in quibus magna Theologorum ingenia vires suas excruerunt, commemorare animus est. Primum itaque locum controversia cum Arianiis sibi poscit. Hæc parvis orta initiis, sed continuis aucta incrementis Orientem & Occidentem late pervagata est, adeo ut teste Hieronymo (q) ingemiscens orbis terrarum Arianum se esse miratus sit. Auctor vastissimæ clavis erat Arius civitatis Alexandrinæ Presbyter, e Libya oriundus, peritus Dialecticus, sed Theologus in Christum blasphemus; cæteroquin homo ambitiosus, & mille dolis simulata pietate tectis instructus. Hic e Meletii Lycopolitan Episcopi (quem Petrus Alexandrinus Antistes & Martyr insignis ob varia crimina, præsertim quod idolis sacrificasset, loco moverat) factio ne prodiens impiam contra Dei Filium hæresin fabricare cœpit, docens, eundem haud esse ὁμούσιον, id est, *Consubstantialem*, sed puram *creaturam*, Patre que minorem. „ Erat aliquando, blas-

„ phema-

(q) *Dial. adversus Lucifer.*

„ phemabat Arius, erat aliquando, quando non erat; ex non existantibus factus est, non Patris substantia genitus; „ ex tempore, non ab æterno; haud quam Deus verus de Deo vero, „ sed ex nihilo creatus, minor Patre, „ voluntate naturaque mutabilis. „ Pe-  
stilens hoc dogma cum auctore suo dam-  
navit primus Alexander, Patriarcha Ale-  
xandrinus in synodo centum Episcopo-  
rum: sed mox Arius aliam suæ factionis  
in Bythinia congregatam opposuit, post  
quam quum hæresis hæc magnis indies  
passibus urbes & provincias Orientis per-  
currere visa esset, indictum & convo-  
catum est a S. Sylvestro Concilium pri-  
mum Oecumenicum, seu Nicænum. In  
hoc adesse jussus, ut se purgaret, Arius  
quum doctrinam suam pluribus exposuis-  
set, ad prolatas ejus blasphemias hor-  
ruere Patres, auresque obstruxere: lite-  
ræ vero Eusebii Nicodemiensis, præcipui  
fautoris Arii, palam fuerunt discep-  
tanquam plenæ iniquitatis. Tum vero  
communi suffragio impium Arii dogma  
damnatum, & Dei Filium esse Deum de  
Deo vero, *omnipotens*, seu *Consistentia-  
lem* Patri conclamatum, fideique Symbo-  
lum omnium nomine ab Osio Sedis Apo-  
stolicæ Legato conscriptum ac promul-  
gatum

gatum fuit. Quievit post hæc tantisper tempestas, Ario e civitate Alexandrina velut in exilium migrante, ac pœnitentiam simulante: quod quum serio agi crederet Constantinus Imperator, Arium in Ecclesiam Constantinopolitanam admitti jussit. Sed hic, dum ad Ecclesiam ovans properat, e via declinans alvum exonerandi cauſſa, repentina effusione viscerum infamem vitam pari morte Judæ Prodigioris instar conclusit circa an. 336. vel ut alii censem 340. At non cum Auctore extinctum est ipsum malum, sed post mortem Constantini M. imperante Constantio gliscens sub cineribus flamma in apertum incendium erupit, hæresis favente Augusto larvam detraxit, & Imperatorum aliquot Regumque, quos inficerat, auctoritate fulta totum prope orbem in partes suas, errorisque contagium tractura videbatur. Fautores enim habuit Constantium & Valentem in Oriente, Justinam Imperatricem in Occidente: Reges Vandalorum in Africa, Visigothorum & Suevorum in Hispania, ac denique Longobardorum in Italia. Tristem rerum faciem graphice describit Vincentius Lirinensis (r) inquiens: „ Venenum non „ jam portulunculam quandam, sed pene „ to-

(r) In Commonit. Arianorum.

„ totum orbem contaminaverat , adeo  
„ ut prope cunctis latini sermonis Epi-  
„ scopis partim vi partim fraude deceptis  
„ caligo quædam mentis offunderetur ,  
„ quidnam potissimum in tanta rerum  
„ confusione sequendum foret . . . Cum  
„ namque profana ipsa Arianorum novi-  
„ tas , velut quædam Bellona aut furia  
„ capto prius omnium Imperatore (Con-  
„ stantio) cuncta deinde Palatii culmina  
„ legibus novis subjugasset , nequaquam  
„ deinceps destitit universa miscere . . .  
„ Tunc temeratae conjuges , depopulatae  
„ viduae , profanatae Virgines , monaste-  
„ ria demolita , disturbati Clerici , ver-  
„ berati Levitæ , acti in exilium Sacer-  
„ dotes , oppleta Sanctis ergastula , car-  
„ ceres , metalla : quorum pars maxima  
„ interdictis urbibus protrusi atque ex-  
„ torres inter desertas speluncas , feras ,  
„ saxa , nuditate , fame , siti affecti , at-  
„ triti , & tabefacti sunt &c. ,

CVI.

Tantum valuit in hac rerum perturba-  
tione hæresis istius violentia : sed plus  
nocuisse visa est malitia. Quippe Ariani  
& Semi-Ariani varias fidei formulas con-  
ceperunt edideruntque , tredecim scilicet  
aut

aut quatuordecim, nusquam tamen inter se cohærentes, partim ut a molestis, quibus eos urgebant Concilia & Episcopi sincere Orthodoxi, inquisitionibus se se liberarent, partim ut Catholicos, maxime Principes, minus cautos in suas partes traherent. In his Filius modo Deus, modo æqualis cum Patre substantiæ, nunc Patri per omnia æqualis, nunc similis, modo dissimilis, nunquam *Consubstantialis* dicebatur, quam tamen vocem Nicæni Patres tanquam tesseram seu symbolum Catholicæ communionis exigebant, quamque qui nesciret, alienus ab orthodoxia haberetur. Ipsum sane Constantinum M. quamvis nunquam a fide Nicæna defecerit, occultis artibus eo deduxerunt, ut nimium credulas aures præbuerit accusatoribus magni Athanasii, cuius in exilium abeuntis intrepida hæc ad Imperatorem verba fuerunt: *Dominus iudicabit inter te & me, quoniam tu consentis calumniatoribus modestiæ meæ*, ut refert Epiphanius (s). Has inter fraudes & simulationes continuo crevit ac latius se se explicavit hæretica lues, atque ex Arianismo tanquam uno truncō tres præcipue rami prodierunt: primus fuit Aetianorum, qui duce Actio purum Arianismum

(s) *Hæresi* 68.

mum profitebantur, Filium Dei nec ejusdem cum Patre substantiæ, nec ei similem esse dicentes; in qua etiam hæresi fuerunt Eudoxiani & Eunomiani. Alter fuit Semi-Arianorum, quorum princeps fuit Basilius Ancyranus, qui Filium Dei ὄμοιστον, hoc est, similem in substantia admittebant, neutquam tamen *consubstantialem*, seu ejusdem substantiæ. Tertius error inter duos veluti medius erat eorum, qui Filium Dei nec *consubstantialem*, nec similem in substantia vocabant, quamvis Deum esse concederent in sensu quodam minus proprio & allegorico, fere ea qua scriptum est ratione: *Ego dixi, Dii estis vos, & filii Excelsi omnes* (t). Præcipua hujus sectæ capita fuerunt Ursacius & Valens, in Concilio Ariminensi, quod *bono initio, fædo exitu consummatum* scribit Severus, damnati; quorum errores seculo XV. In Polonia renovarunt Joannes Crellius, & Michael Servetus Genevæ comprehensus, & vivus exustus. Nunquam tamen Ariana hæresis plus invaluit, quam post Ariminense, quod dixi, Concilium, quando Occidentis Episcopi quadringenti & amplius, qui Ariminum simul convenere,

par-

(t) *Psalm. 81.*



partim Constantii violentia, partim Valentis & Ursacii fraudibus transversum aëti omnes tandem externa quadam professionis specie Arianis partibus accessisse visi sunt, suppressa voce *όμοστον*, tanquam minus necessaria. jactitabant enim Ariani, (ut versipellis est semper hæreticorum indeoles) vocem *Consubstantialis* nec in Scripturis, nec in Patrum commentariis reperi: indignum esse unius voculæ pretio tot corporum & animarum millia perire, ac religionem civili bello consumi: quid referret, unam vocem & novam, & hactenus inauditam, nec necessariam taceri, si de re ipsa constaret? an religio de vocibus, & non potius de rebus esset &c. Nihil hac oratione speciosius dici legique poterat, ita ut ipse Liberius Papa, acerrimus antea divinitatis Filii Dei contra Arianos vindex, post toleratum exilium tandem partim fraudibus circumventus, partim mortis metu adactus formulæ ab Hæreticis scriptæ, ac propter vocem *Consubstantialis* omissam plane suspectæ subscripte rit, quem propterea Ludovicus Maimburgus (u) crismus minus sanatum non raro prodigus Scriptor hæresis arguit, immo

(u) *Traité historique de l'établissement et des Prerogatives de l'Église de Rome.*

immo Arianam hæresin neminem Liberio  
altius professum esse contendit, id quod  
plane nec cum Pontificatus ejus initio,  
nec cum fine concordat, quem regimini  
suo imposuit, Nicænam fidem palam pro-  
fessus, cum Athanasio in gratiam redi-  
ens, & in epistola ad totius orbis Episco-  
pos data Arianos anathemate feriens.  
Inter hæc res ita agebantur, ut fundi-  
tus eversa fuisset fides Catholica, nisi  
murmur pro domo Dei opposuisset se cum  
paucis M. Athanasius, in cuius perniciem  
potentissima factio Arianorum totis Im-  
perii viribus per annos quadraginta sex  
frustra decertavit. Hic sede sua Alexan-  
drina ejectus, mox revocatus, iterum  
pulsus, denuo restitutus hæresis hujus  
vires si non omnino fregit, plurimum  
tamen labefactavit. Hoc stante, caden-  
teque Constantio, pax & tranquillitas  
Ecclesiæ rediit, Episcopis exilibus edi-  
cto novi Principis Juliani ad Ecclesias suas  
revertentibus. „ Tunc triumphatorem  
„ suum, ait Hieronymus (x) Athanasium  
„ Ægyptus exceptit: tunc Hilarium de  
„ prælio revertentem Galliarum Ecclesia  
„ complexa est: tunc ad redditum Euse-  
„ bii lugubres vestes Italia mutavit. Con-  
„ cur-

(x) *Dial. advers. Lucifer.*

„ currebant Episcopi, qui Ariminensibus  
„ dolis irretiti sine conscientia hæretici  
„ ferebantur, contestantes corpus Domi-  
„ ni, & quidquid in Ecclesia sanctum  
„ est, se nihil mali in sua fide suspica-  
„ tos &c., Receptis igitur in Ecclesiæ  
ſinum iis, qui recesserant, vel recessisse  
visi sunt, aliquamdiu malacia frui licuit,  
cui tamen brevi atrocior quam antea  
tempeſtas ſuccedidit ſub Valente, qui a  
fratre Valentiniano in conſortium Impe-  
rii admissus fuit. Hic Arianorum con-  
ſuetudine ac conjugis blanditiis ſeduictus,  
addente ſtimulos Eudoxio, qui Conſtan-  
tinopolitanam ſedem invaſerat, crude-  
liſſima Neronum ac Diocletianorum tem-  
pora in Orientem revocare viſus eſt,  
Episcopis in exilium pulsis, aliisque Or-  
thodoxis maxime Monachis Ægyptiis va-  
rio mortis genere ſublatiſ. Non minus  
in Occidente Justina Valentiniani Senio-  
ris uxor poſt mariti Catholiceſ tidiſ te-  
naciſſimi mortem Arianaum virus diſfe-  
minavit, vexato crudeliter Ambroſio Me-  
diolanensi Antiftite, donec tandem in  
Oriente Theodosius supremam everten-  
dæ huic hæreſi manum admovit, impe-  
trata a Damaſo Pontifice Synodo Oecu-  
menica, quæ Conſtantinopolitanarum qui-  
dem prima eſt, Universaliū vero ſecon-  
da:

da : in Occidente autem Valentinianus Junior, Princeps animo & exemplo vere Catholicus. Ita grande hoc hæresis monstrum annis fere sexaginta & octo postquam exortum fuerat, denique prostratum fuit, modicis omnino reliquiis post se relictis. Contra hoc animo non fratero prædicti, & armis sacræ doctrinæ instructi in aciem prodierunt antiqui Patres ac Theologi, quorum dux erat S. Athanasius, extrema quæque pro fide Catholica perpestus, variis orationibus, epistolis, & disputationibus contra Arianos & Arianam hæresin editis. De symbolo fidei, quod Athanasio passim tribuitur, dubitant nonulli, nec sine omni fundamento, eo quod Auctor symboli ipso velut in limine aggrediatur hæresin Nestorii, in Christo naturas confudentis, qua tamen hæresi orta mortuus jam erat Athanasius, nec quisquam symboli hujus ante Hincmarum, qui seculo nono vixit, meminerit. Præter Athanasium strenui pugiles fuere D. Hilarius Pictaviensis Episcopus, libris duodecim de Trinitate scriptis: S. Phæbadius, secundus in Aquitania Aginensis Episcopus, uno in Arianos edito de Trinitate libro: S. Gregorius Nazianzenus orationibus variis: S. Ambrosius libris quinque ad Gratianum Imperato-

rem exaratis, & S. Augustinus, qui in Concione ad Catechumenos contra Iudeos, Paganos & Arianos mirum in modum exagitat Arium ipsum, contendenter Filium Patre minorem esse ex illis Christi verbis: *Pater major me est* (y). Locus Augustini memoratus dignissimus est: alloquens Arium ita inquit: *Ipse dixit, Pater major me est: quia non intelligis, ideo tibi male sonat, quod bene dixit.* Vide quando hoc dixit: in susceptione humanae naturae positus hoc dixit; tunc dixit: *Pater major me est*, quando dixit: *tristis est anima mea usque ad mortem*: tunc dixit, *Pater major me est*, quando flevit, quando lassatus est, quando esurivit, quando fitivit . . . in susceptione hominis minor est non solum patre, sed & Angelis; æqualis in forma Dei, minor in forma servi; æqualis cum Patre, creans Angelos; æqualis cum Patre homines faciens; æqualis cum Patre novum constituens mundum: minor Patre perditum reparans mundum; æqualis cum Patre vitam largiens æternam, minor Patre mortem suscipiens nostram. Hæc omnia si paucis complecti velimus, aliud non indicant, quam Christum æqualem esse cum Patre ut Deum, minorem Pa-

tre

(y) Conc. ad Catechum.

tre ut hominem. Profecto hoc ipsum est testimonium omni exceptione majus, quod ipse Dei Filius præbuit de se quidem ut Deo, dum dixit: *Ego & Pater unum sumus* (z). de se autem ut homine, dum ait: *Pater major me est* (a).

§. II.

*Controversia cum Pelagianis, & Semi-Pelagianis.*

CVII.

**P**elagius e majori Britannia oriundus (quem S. Prosper *Britanniae columbrum* vocat) professione Monachus erat, non eorum e numero, qui vel in cœnobiosis aut eremo, sed qui religiosam in suis ædibus vitam agebant. *Suum*, ut Lindanus loquitur, *diu coxit sub Monachali pallio venenum*. Ejus indolem versipellem vivis sane coloribus depingit Johannes Garnerius S. J. (b) „ Hæc, inquit, „ Pelagio erant artes hæresin disseminanti. Nihil de suis mysteriis aperte „ vulgo credere, sed fidis tantum auribus. Si quid dogmatum emanasset in „ publicum, negare palam, quod in cu- „ bicu-

(z) *Joan. 10.* (a) *Joan. 14.* (b) *in Commentariis.*

„ biculis doceret. Si aperte proponen-  
 „ dus error, alienam induere personam,  
 „ si suo nomine loqui cogeretur, dubi-  
 „ tantis more, timideque afferre, de  
 „ quo simularet, se velle doceri. Si ex  
 „ libris argueretur cuiusdam assertionis,  
 „ libros causari vel non esse suos, vel  
 „ prius subreptos, quam emendantur.  
 „ Si ex confessis urgeri contingenteret, sen-  
 „ tentias interpretari verbis perplexis,  
 „ & in speciem Catholicis. Si necessi-  
 „ tas foret Ecclesiæ nonnulla damnanti  
 „ consentire, damnare omnia libenter,  
 „ sed ut ajebat, Ecclesiæ sensu, id est,  
 „ eo quem postea fingeret ad arbitrium.  
 „ Si aliquando fidem exponere deberet,  
 „ copiose prosequi plurima, de quibus  
 „ non interrogaretur: de re vel nihil  
 „ vel ambiguum quiddam loqui. Imitari  
 „ serpentes, qui ut ait Orosius (c), cum  
 „ tuendi solius capitis causa reliquum  
 „ concisioni atque injuriæ corpus oppo-  
 „ nunt, nihil damni arbitrantur, ea tan-  
 „ tem fui parte a periculo libera, quæ  
 „ multimedas venenatasque in se obti-  
 „ net linguas, etiamsi membris omnibus  
 „ amputentur. „ Eadem de indole Pela-  
 „ gii mens erat D. Hieronymo & S. Pro-  
 „ spero, quorum prior (d) *salam hanc scri-  
 „ bit*

(c) *Apologet.* t. I. (d) *epist. ad Ctesiphont.*

bit hæresin esse, quæ publice loqui erubesceret, quod secreto tradere non timeret. Posterior autem (e) ait:

*Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.*

Ingenium itaque Pelagii non minus fraudum quam errorum ferax erat, qui sanc multiplices fuere: Primo enim docuit, ad obtinendam salutem naturam hominis sibi soli sufficere absque omni gratia. Quum vero hoc dogma offenderet aures omnium Catholicorum, qui propterea Pelagium accusarunt in Concilio Dioispolitanus, citatus ac doctrinæ postulatus ut meritas poenias atque censuras declinaret, publice in eo professus & necessitatem gratiæ; atque ita absolutus & liber dimissus fuit velut negotio peracto. At discussio periculo brevi ad genium rediit. Nam domesticos intra parietes quatuor libros de libero arbitrio elucubravit, in quibus secundum errorem docuit, quod gratia non sit aliquid ab ipso libero arbitrio hominis distinctum, & hanc solam gratiam esse necessariam, nempe liberum arbitrium, quo solo benigne collato in plena dein hominis potestas

(e) *Carm. de ingratis.*

testate collocata sit ejus salus, quin ulla  
alia gratia requiratur. Quum vero rur-  
sus ob sequiorem hanc doctrinam a Pa-  
tribus graviter corriperetur, tandem ad-  
misit gratiam aliquam a libero arbitrio  
distinctam, huicque superadditam. Ve-  
rum mox in tertium errorem prolapsus  
est, dum hanc gratiam nihil aliud esse  
docuit, quam doctrinam, legem Evan-  
gelicam, & exemplum Christi : legem  
esse lucernam lucentem foris ad ineun-  
dam viam mandatorum dei, doctrinam  
autem seu institutiones Evangelicas de-  
pellere tenebras ignorantiae nostrae. Sed  
quum ne sic quidem acquiescerent Ca-  
tholici, cum Augustino ceterisque Pa-  
tribus afferentes : Evangelium, legem,  
& exemplum Christi non sufficere ad  
salutem hominis, si abesset gratia, qua  
ista cognoscere, atque amplecti posset,  
ulterius progressus fraudum artifex ad-  
misit denique etiam *revelationem*, & pec-  
catorum remissionem: præter hæc autem  
nihil, quod rationem gratiæ haberet.  
Atque hic proin quartus error erat Pe-  
lagii, mox rejectus a Concilio Milevita-  
no (f) in quo damnabantur dicentes,  
quod *gratia Dei præcise valeat ad remis-  
sionem peccatorum commissorum, non au-*  
*tem*

(f) *Can. 3.*

tem valeat in adjutorium aliquod, ne committantur. Videns itaque omnes circa gratiæ explicationem vias sibi esse præclusas, tandem in eam, quam Patres adstruebant, consensit, non tamen absque novo, id est, quinto errore, dum illam non esse simpliciter ad salutem hominis & actus salutares necessariam asseruit, sed duntaxat ad melius esse, seu ad bonum facilius operandum. Paullo post quinto etiam sextum errorem superaddidit, omnium gravissimum, docens gratiam in quocunque deum consistere, homini intuitu meritorum suorum conferri, eamque ab his pendere, ita ut homo gratiam sibi suis quasi sumtibus procuret. Atque hæc vera effigies est perversæ de gratia doctrinæ, quam Pelagius sparsit, nec non errorum illius series. Non solum autem in gratiæ negotio, sed in aliis quoque Catholicis dogmatibus graviter hallucinatus est Pelagius cum suis, quemadmodum patet ex Augustino (g): „ Tria sunt, inquit S. „ Doctor, quæ maxime aduersus eos „ (nimirum Pelagianos) Catholica de- „ fendit Ecclesia, quorum unum est, „ gratiam Dei non secundum merita „ nostra dari, quoniam Dei dona sunt, „ &

(g) *L. de dono persev. c. 2.*

„ & Dei gratia etiam conferuntur merita universa justorum. Alterum est, in quantacunque justitia sine qualibus cunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur,. Ex quibus palam fit, docuisse Pelagium cum affeclis suis non solum, gratiam Dei haud esse necessariam ad salutem, eamque homini non gratis, sed ob merita sua conferri, verum etiam Adamum a Deo creatum sibi soli nocuisse per peccatum: posteris vero non propagatione peccati, sed malo duntaxat exemplo; ac proinde infantes sine baptismo decedentes non privari aeterna vita: porro, tantas esse liberi arbitrii vires, ut homo iis solis instructus possit omnia dei precepta implere, justus permanere, ac sine gratiae auxilio salutem consequi. Paucis alio in loco verbis rem totam complexus est idem Augustinus, dicens sententiam Pelagii fuisse: *naturam hominum neque in parvulis egere medico, quia sana est; neque in adultis gratiae adjutorio, quia sibi sufficiens est ad salutem.* Cetera propugnatores perversorum dogma-

dogmatum habuit Pelagius in paucis  
strenuos, scilicet præter Anianum, quem  
Origenes *Pelagii Armigerum* vocat, Cœ-  
lestium & Julianum. Prior incertæ gen-  
tis ac patriæ, primum *Causidicus*, dein  
Monachus & Pelagii discipulus, sed Ma-  
gistro audacior non clam, sed palam &  
aperte hæresin docuit, & dum Pelagius  
per Asiam, iste per Africam venenum  
sparsit. Alter Julianus de prosapia Æmi-  
liorum Capuanus, vel ut alii scribunt,  
Eclanensis Episcopus, teste Gennadio  
vir fuit ingenio & eruditione magnus,  
sed Pelagianæ doctrinæ veneno ita ple-  
nus, ut contra Augustinum & Catholi-  
cam fidem pro tuendis Pelagii placitis  
varios in lucem dederit libros, quibus  
*velut alter David adversus Goliah in*  
*aciem egressus est, ut pugnas omnium ut-*  
*riusque contentio dirimeret.* Hæc quam  
superbe jactabat Julianus, tam modeste  
Augustinus *Absit*, respondebat, *ut mibi*  
*apud Catholicos arrogem, quod tibi apud*  
*Pelagianos arrogare non pudet.* Unus  
sum e multis, qui profanas vestras novi-  
tates, *ut possimus*, refutamus. Verum  
duos pariter Oppugnatores acerrimos Pe-  
lagiana hæresis nacta est, Hieronymum,  
& hunc ipsum Augustinum, qui doctissi-  
mis voluminibus conscriptis, suscep-  
cer-

certaminibus ejus vestigia ubique premebant simul & opprimebant. Ut de Augustino duntaxat loquar, ( qui eodem die natus in Africa fuit, quo Pelagius in Britannia ) scripsit adversus Pelagianos primo tres libros de peccatorum meritis & remissione ad Marcellinum : secundo librum de spiritu & litera, longamque epistolam ad Hilarium : tertio post Concilium Diosopolitanum librum de gestis Pelagii. Hoc vero per Papam condemnato librum unum edidit de natura & gratia, alterum de peccato *originali*, ac tertium de nuptiis & *concupiscentia*, quem quum libris quatuor refelleret Julianus (in occidente alter Pelagius) totidem illi libros opposuit D. Augustinus. Non minus in Conciliis male multata est hæresis isthæc, quorum viginti quatuor ante Ephesinum Oecumenicum contra errores Pelagii atque Cœlestii celebata fuisse afferit Granerius. Inter hæc eminuerunt Carthaginense unum anno 416. celebratum, eodemque Milevitanum, cuius utriusque Concilli gesta ad Innocentium I. Pontificem fuere delata probataque, ita ut Augustinus (h) exclamare auditus fuerit: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam,* inde

(h) *Serm. 2. de verb. Apost.*

ànde etiam rescripta venerunt : causa finita est : utinam aliquando finiatur error. Sed ut variabilis est in omnem partem hæreticorum indoles, Pelagiani singularia duntaxat fuisse Concilia, nec aliunde sat s libera questi, inaudito ad hæc postrema usque tempora exemplo octodecim Episcoporum suffragiis ad Oecumenicā Synodum provocarunt. At clamores eorum contempnit Ecclesia. Ubi que terrarum Ecclesiastica simul & Imperatoria sententia percussi, ab urbe ac communione fidelium extorres facti sunt ; quamvis nec eorum damnationi defuerit Concilium quoque Oecumenicum, scilicet Ephesinum, celebratum an. 431. contra Nestorium, in quo ejusdem Amicorum Pelagii ac Cœlestii errores simul fulmine vaticano percussi fuerunt.

### CVIII.

Ex hac hæresi Pelagiana velut ex ovo male fausto alias non impare partu pulsus prodiit, nimirum hæresis Semi-Pelagiana, exorta Massiliæ, atque aliis in Gallia Narbonensi locis vicinis ; unde Semi-Pelagianis nomen Massiliensem adhæsit, quia Massiliensis Ecclesiæ Presbyteri fuerunt, primusque illorum dux Massiliæ Episcopus. Venenum hauserunt  
e li-

e libro D. Augustini *de Correptione & Gratia ad Monachos Adrumeticos* scripto, e quo hæresis suæ antidotum promere debuissent. Putabant scilicet Augustinum nimium tribuere virtuti gratiæ, contra nimis extolli a Pelagio vires liberi arbitrii. Medium igitur ineuntes viam cum Pelagianis initium salutis, justitiæ, ac fidei e solis naturæ viribus pendere docuerunt; cum Catholicis vero fassi sunt, reliquum salutis non soli naturæ, sed gratiæ adscribendum. Subtrahebant hac ratione homines nefarii aliquid gratiæ Dei, nec totum quod debuerunt, illi tribuebant, uti observat præclare D. Prosper (i) inquiens: *ubi non aliud habet summa, quam portio, non est devotionis dedisse prope totum, sed fraudi retinuisse vel minimum.* Atque hic primus error illorum fuit, ac fundamentum cæterorum. Alter erat, quod dicerent, Deum quidem velle omnes salvos fieri, & Christum pro omnibus mortuum esse, tamen illos solum salutem consequi, qui ex viribus naturalibus sui proprii arbitrii crediderunt in Deum, eumque invocarunt, atque ita ex proprio sibi debitam fecerunt ulteriori gratiam justitiæ ac salutis. Quum vero

(i) *Contra Collatorem.*

vero urgerentur a Patribus, cur Evangelium prædicatum fuerit potius his gentibus quam aliis, licet ad hanc prædicationem nullius gentis merita præcessissent, in tertium errorem lapsi sunt respondentes, hoc inde fieri, quod Deus prævideret has gentes, si audirent Evangelium, illud recepturas ex naturalibus viribus sui liberi arbitrii, sicque merituras eise suam salutem & gratiam: alias vero gentes Evangelium repudiaturas &c. Displicuit merito doctrina hæc Patribus, ac denuo instabant: quare aliqui ex parvulis morirentur sine baptismo, alii cum baptismo, quamvis neutri haberent aliquid meriti vel culpæ e naturalibus liberi sui arbitrii viribus? reposuerunt addentes quartum errorem: hoc inde proficiens, quod Deus prævideret, aliquos ex hoc parvo grege si supervixissent, male acturos, & virium propriarum conatu sibi gratiam & salutem non fore comparaturos. Hinc permittere Deum, ut baptismi expertes ex hac vita subito migrarent: alios vero conaturos fuisse viribus suis naturalibus, ut gratiam & salutem sibi debitam facerent, atque hos mori prius baptismi sacramento expiatos. Quare tam quod ad parvulos, quam quod ad adultos adtinet, initium salutis in meritis solum naturali-

bus constituerunt, non autem in gratuita dei benevolentia, & gratiosa liberalitate. Errores hos occulte grassantes datis literis Augustino paucis ante obitum annis significarunt Prosper Aquitanus, & Hilarius Arelatensis (quos Viros Laicos sed eximie doctos faisse sentiunt Eruditi) his verbis conquerentes: *In istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiae fibram nutriri, si principium salutis in homine collocatur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur, velit.* Nec moras traxit Augustinus, sed re intellecta quantocius calamum arripuit, geminosque libros de *prædestinatione sanctorum*, & de dono perleverantiae in ultima senectute conscripsit, quibus Massiliensium errores debellasse videri poterat: sed illi magis efferti Viro tot trophaeis claro inter ipsas victiarum coronas gravissime ac palam detrahere aui sunt, & invictum veræ fidei defensorem hæresis postulare. Domicuit autem illos post mortem Augustini S. Prosper ita, ut demum in Synodo Araviscana II. Sub Felice IV. Pontifice celebrata damnati fuerint, quam sententiam Felicis Successor Bonifacius II. Apostolica auctoritate confirmavit, Tridentina Synodus vero (k) renovavit. Multis ma-

gnisque viris graviter imposuerunt hi Massilienses, quos errorum suorum fraudibus circumvenere, aut saltem circumvenisse visi sunt. Inter hos numerantur Vitalis Carthaginensis, Joannes Cassianus *Collator* dictus, Faustus Reginensis, Vincentius Lirinensis, Genadius, Arnobius, & Severus Sulpicius, de quibus tamen omnibus non constat, eos re ipsa fuisse semipelagianos. Certe Faustus Reginensis his erroribus eo tempore nequam damnatis aras & sacros honores in Ecclesia Reginensi obtinuit, & Cassianus Monachus erat sanctitatis fama celebris. Male fide autem aliis quoque Pelagianismus aut Semi-Pelagianismus fuit objectus. Primo quidem Græcis Patribus & præcipue D. Chrysostomo ab aliquibus prioris seculi hæreticis : dein S. Prospero qui semipelagianismum tribuerent, non defuerunt. Ipsos etiam Patres Tridentinos cum Bellarmino ut Pelagianos diffamarunt Calvinistæ, quemadmodum constat ex Actis pseudo-synodi Dordicensis, ac si per primam gratiam seu prævenientem non allam intelligerent, quam suasionem quamdam moralem foris oblatam. Demum etiam Societatis Doctoribus, qui Molinam sequuntur, antiquiores quidam Thomistæ liberaliter Pelagianismi

invidiam imposuere: sed postquam quæ  
hæreticorum istorum circa gratiam do-  
ctrina, quæ mens fuerit, melius edocti  
fuerunt tum ab Adversariis, tum a Do-  
mesticis, præsertim a Natali Alexandro,  
vix modo aliquos reperire est, qui hanc  
dicam scribant, nisi illi, qui novi quid,  
quod solide opponant, non invenientes  
antiquatas ex antiquis auctoribus suis  
nærias exscribunt.

## §. III.

*Controversia cum Nestorianis, Euty-  
chianis, & Monothelitis.*

## CIX.

**D**e primis canit S. Prosper:

*Nestoriana lues successit Pelagianæ.*

Natale solum fuit Nestorio Germanicis  
Syriæ oppidum, professio autem vita  
Monasticæ in cœnobio S. Euprepii, cuius  
tunc temporis Antiochiæ celebre no-  
men erat: ibi bonis artibus piisque mori-  
bus informatus eloquentiæ laude florebat,  
peregrinus tamen in sacris Scripturis, &  
SS. Patrum placitis. Inde educitus pri-  
mum ad Presbyterii. tum etiam Clero in  
partes divisò ad Patriarchæ Constantino-  
poli-

politani sublimen gradum adnitente Theodosio Juniore evectus Sisinnio successit, vultus pallore, corporis macie, & vestium neglectu sanctitatis Apostolicæ mentionem imaginem præseferens. Princípio quidem auctor fuit Theodosio, ut hæreticos, aliosque homines nefarios novis legibus prosciberet, sic eum adloquens in sua, quam habuit, prima oratione: *Da mibi Imperator puram ab hæreticis terram, ego cælum vicissim dabo; everte mecum hæreticos, ego tecum Persas evertam.* Sed quod hominum arrogantium esse solet fatum, paullo post ipse hæresiarcham induit. Quatuor præcipue pestilentis, quam disseminavit, doctrinæ capita fuerunt. Primum, *Incarnationis mysterium aliud haud esse,* quam ut ita dicam, habitationem Dei in homine. Alterum, cum Theodoro Mopsuesteno, ac Diodoro Tarsensi, vel ut aliis placet, Paullo Samotsetano duas in Christo personas esse docuit, eumque velut divisit in Filium Dei, & hominis filium: ambos hos autem non vera & substantiali unione, sed morali aliquo secundum dignitatem nexu, & participatione nominis a persona Verbi derivata copulatos esse. Tertium, negavit Deum passum esse aut mortuum, *Redemptionis*

650 Cap. VIII. *Theologia*

*nostræ*, ut ait Cyrillus, *mysterium evan-*  
*cuans*. Quartum, Beatam Virginem Ma-  
riam non Dei, sed hominis matrem esse  
asseruit, noluitque eam dici Θεοτόκον sed  
Χριστοτόκον sive Christiparam. Ad novum  
hunc hæresis partum, quem enixa est  
imperitia Nestorii, & superbia fovit, hor-  
ruerunt insuetæ fidelium aures, insur-  
rexerunt Clerus & populus, & res pro-  
pe abfuit a seditione, quam tamen non  
solum non suppressit, sed novo auxit  
scandalo Nestorius, dum publicis priva-  
tisque suis suorumque sermonibus impiam  
hanc doctrinam & confirmavit & expli-  
cavit, Clericis qui obſistere ausi fuerunt,  
crudelem in modum vexatis multatisti-  
que. Excitavit tamen Dei providentia  
D. Cyrillum, Præfulem Alexandrinum,  
qui ut recens natam hæresin in cunis  
opprimeret, literas primum dedit ad  
Nestorium, tum quoque ad Pontificem  
Cœlestinum, qui probe inspectis utrius-  
que partis documentis in Synodo Romæ  
congregata Nestorianum dogma damna-  
vit, & auctori anathema minitatus est,  
nī errorem suum intra decem dierum  
spatium agnosceret ac ejuraret. Igitur  
Cyrillus, cui vices suas ad ferendam  
ſententiam Cœlestinus demandavit, cele-  
bres duodecim Anathematismos (id est  
Cano-

Canones anathemate sub finem armatos,  
quibus Catholica doctrina Nestorianis  
erroribus opposita continebatur) a Nesto-  
rio subscribendos edidit, quibus tamen  
spretis rejectisque insigni audacia totidem  
alios ille opposuit. Ad sedandas istas,  
quibus Ecclesia conflictabatur procellas,  
Imperator Theodosius, dum interea Cy-  
rillus tribus libris ad hunc ipsum & ad  
Reginas Eudoxiam & Pulcheriam missis  
grassantem hæresin egregie confutarat,  
de Concilio Universali celebrando apud  
Cœlestinum egit, hocque consentiente  
istud Ephesi coactum fuit, Cyrillo Prä-  
side a Papa constituto, & missis a Theo-  
dosio Comitibus Iræneo & Candidiano  
tanquam Legatis, qui Synodum defen-  
derent, ea tamen conditione, ne fidei  
ac Ecclesiæ negotiis sese immiscerent:  
Ter citatus Nestorius quum nil nisi con-  
vicia reponeret, rebus probe discussis in  
contumacem ab Episcopis plusquam du-  
centis, qui eo convenerant, depositionis  
ut vocant sententia lata fuit, cui Apo-  
stolicæ sedis Legati tardius adventantes  
suum quoque calculum addidere. Ve-  
rum Nestorianis partibus addicti legitimo  
huic Concilio aliud spurium opposuerunt,  
& Ephesinos Patres velut jure talionis  
condemnarunt, duce Joanne Antistite-

Antiocheno, & adjutoribus Iræneo ac Candidiano Comitibus, qui parum memor res mandati, & Nestorianis supra modum addicti maximo pere turbarunt Concilium Ephesinum, cuius auctoritatem tueri debuissent. Horum fraudibus circumventus ipse Princeps tum Nestorium, tum Cyriillum ac Memnonem in custodiam tradi jussit, utpote quos omnes in utraque Synodo legitime damnatos credidit. Sed fraude detecta adnitente Pulcheria Sorore, eximiæ pietatis ac prudentiæ fœmina, Theodosius ex errorum tenebris, quibus eum Comites involverant, ad lucem veritatis emersit. Ergo Nestorianæ factionis Legati dimissi: Episcopi eidem faventes ad suam quisque Ecclesiam abire jussi: Iræneus & Candidianus exauktorati: Nestorius Antiochia relegatus mitiori tum quidem exilio, verum quod hæresin adhuc docere tuerique pergeret, quadriennio exacto in Oasim, oppidum Lybiæ, locum exilii teterimum, migrare jussus est, ubi fato incerto sed miserrimo periit, blasphemæ lingua post obitum vermibus scatente reperta. Divino sane consilio factum fuisse creditur, quod per Virginem Augustam Pulcheriam Deipara Virgo a Nestorii blasphemias vindicaretur. Sunt, qui credunt, in Ephesina, de qua dixi

dixi Synodo ad reparandam injuriam Deiparæ a Nestorianis illatam definitum fuisse, ut salutationi Angelicæ verba hæc: *Sancta Maria Mater Dei &c.* adjungerentur. Non tamen extincta statim fuit cum Auctore suo hæresis: reliquæ per totum Orientem diffusæ ad Indos usque penetrasse dicuntur, tamque altas ibi radices egisse, ut multi etiamnum reperiantur ibi Nestoriana profientes dogmata; quamvis non desint eruditæ, qui Nestorianum, quod apud nonnullos Orientales vigere adhuc fertur, nomen alio e fonte derivari existiment.

CX.

Interea charybdim, ad quam naufragium passus est Nestorius, vitare volens Eutyches, in scyllam incidit. Hic celeberrimi in Urbe Constantinopolitana Monasterii Archimandrita, dum unam in Christo personam profitebatur, naturarum in eo discriumen tollere aggressus est, unam uti personam, ita & naturam unam illi tribuendam esse ratus. Itaque docuit primo, duas equidem ante unionem in Christo fuisse naturas. Nam hæc duo distinguebat, *Incarnationem & unionem.* Secundo, mox autem post unionem ex utraque natura, divina & humana,

mana, unam coaluisse substantiam, unamque factam esse Christi naturam, quæ ex duarum commixtione ac confusione, absorpta scilicet per divinitatem humilitate, resultasset. Tertio, addebat alium absurdissimum errorem, nimiram, Christum non habuisse carnem a Maria, sed carnem illam e cœlis venisse, ac proinde Beatissimam Virginem nec Deiparam, nec Christiparam dicendam, utpote per quam duntaxat verbum transiisset. Præcipuam hæresis hujus partem in compendio exhibet S. Leo Papa, ad quem scribere ausus est Eutyches, Constantinopoli Nestorianam revixisse hæresin adstruendo duas in Christo naturas, dum hunc in modum illi respondit (1): „ Quid pro-  
 „ dest impudentissimo seni (Eutycheti)  
 „ Nestorianæ hæreseos nomine eorum  
 „ lacerare opinionem, quorum piissimam  
 „ convellere non potest fidem ? cum  
 „ quantum Nestorius a veritate discessit,  
 „ divinitatem verbi ab assumpti hominis  
 „ substantia separando, tantum a recto  
 „ tramite iste desciscat, qui Unigenitum  
 „ Dei Filium sic de utero Beatæ Virgi-  
 „ nis prædicat natum, ut humani qui-  
 „ dem corporis speciem gesserit, sed hu-  
 „ manæ carnis veritas verbo unita non  
 „ fue-

(1) *Epist. ad Julianum.*

„ fuerit? de quo prodigio falsitatis quis  
„ non videat, quæ opinionum monstra  
„ nascantur? Negator enim Mediatoris  
„ Dei & hominum, Hominis Jesu Chri-  
„ sti, necesse est, ut multis impietatibus  
„ implicetur, eumque aut Apollinaris  
„ sibi vindicet, aut Valentinus usurpet,  
„ aut Manichæus obtineat, quorum nul-  
„ lus in Christo humanæ carnis credi-  
„ dit veritatem „ Hæresi huic Eutychianæ ore ac calamo bellum indixere  
Viri graves ac sanctitate conspicui, inter  
quos Boetius, philosophiæ ac martyrii lau-  
rea insignis, edito libro, quem de duab-  
us naturis inscripsit: S. Prosper Aquita-  
nicus exaratis contra Eutychetem diversis  
epistolis: & memoratus S. Leo Pontifex  
Romanus, qui his in epistola ad Flavia-  
num verbis utitur: *Salva igitur proprietate utriusque naturæ & in unam coeunte personam suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas; & ad persolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei, & hominum Homo Christus Jesus & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero. Integra igitur veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus: totus in*

*in nostris.* Omnibus vero in damnanda  
hæresi Eutychiana palmam præripuit S.  
Flavianus, Antistes Constantinopolitanus.  
Hic ea ipsa in urbe synodum celebravit,  
ad quam triginta & duo Episcopi, Abba-  
tes viginti tres convenerant. In hac Eu-  
tyches ter citatus nunquam comparuit:  
tandem monachorum & militum armis  
stipatus quem adesset, & frustra de re-  
vocandis erroribus admonitus in hæresi  
sua contumax persisteret, communī Pa-  
trum suffragio damnatus & sacerdotii ho-  
nore privatus fuit. Hoc irritatus dede-  
core Eutyches aliam vindictæ sumendæ  
viam init, ac Dioscori Patriarchæ Alexan-  
drini, alias Flaviano graviter infensi opem  
implorat: nec spes fecellit. Quippe Dio-  
scorus Theodosio Imperatori suggestit,  
rem tanti momenti Concilio indigere  
Oecumenico, quod etiam repugnante li-  
cet Flaviano, & reclamante primum Pa-  
pa Leone ab Imperatore Ephesi indi-  
ctum, consentiente tandem, ut aperti  
schismatis malum evitaretur, Leone, ac  
Legatos & Epistolas eo mittente celebra-  
tum fuit, funesto tamen exitu. Nam  
Theodosius Barsumam Archimandritam  
Dioscoro familiarem, & Epidium Sacri  
Consistorii Comitem ad Concilium illud  
protinus delegavit, illum ut Monachorum  
om-

omnium nomine contra Orientales Episcopos, qui Eutychetem damnarunt, age-  
ret: istum ut synodi defensor esset &  
custos, ac iis, qui Eutycheti non faverent,  
judicandi facultatem adimeret. Hac male  
data potestate pejus adhuc usi sunt. Nam  
Dioscorus & Barsumas militum manu in  
synodum irrumpunt, Notariis acta scri-  
bentibus digitos foedum in modum lace-  
rant, tabulas publicas frangunt, Episco-  
pos in vincula conjiciunt: Dioscorus vero  
homo impotens ut praeclaro facinori cono-  
ronam imponeret, in Flavianum ad Apo-  
stolicam Sedem provocantem involat, &  
inaudito haec tenus scelere non tantum ini-  
qua damnationis sententia ferit, sed etiam  
calcibus & pugnis sanctum Praesulem ita  
contundit, ut post triduum plagarum do-  
lore oppressus obierit. Divina humana-  
que jura in hac synodo, quam *praedato-*  
*riam & latrocinium Ephesinum* scriptores  
vocant, pessum data fuerunt; Episcopi  
severissimis minis territi novae heresis ad-  
fertione praestita, Eutychete per summam  
injuriam absoluto, restitutoque in pristi-  
num gradum, Catholicorum dogmate  
condemnato, quasi Christo ter negato ex  
atrio Pilati sunt egressi: respiciente tamen  
eos Domino amare coeperunt fieri, quo  
in iunctu biennio fere Orientalis Ecclesia  
mersa

mersa jacuit. Interea Leo tum a Flaviano prius, tum postea ab Hilario Diacono, qui e Legatorum Pontificiorum numero fuerat, quos nulla vis transversum agere potuit, fuga elapsō rem totam edocētus, coacta Romæ Synodo Acta Conventus Ephesini rescidit, gravissimis literis tam suis, quam Imperatoris Valentiniani ad Theodosium datis, ut Concilium Oecumenicum convocetur, in quo eorum, quæ perperam Ephesi gesta fuerunt, palinodia caneretur. Sed nihil a Theodosio Eutychianis fabulis ac dolis irretito nec literis nec precibus impetratum. Aequo-rem se præbuit fratre e vivis seblato Soror Pulcheria, Princeps religiosissima, cum conjuge Marciano Viro avitæ pietatis stu-  
diosissimo, quorum opera Synodus uni-  
versalis Chalcedone coacta fuit sexcento-  
rum & amplius Episcoporum, cui Augustus  
ipse & Augusta interfuerunt. Inter prima  
Concilii Decreta illud fuit, quo Legatis  
Apostolicis flagitantibus Dioscorus Alexan-  
drinus Antistes prolatis per Alexandrinos  
testimoniis devastatorum ab ejus satelliti-  
bus & ministris agrorum, incensarum  
ædium, abreptarum per vim uxorum &  
virginum violatarum postulatus, non Epi-  
scopatu tantum dejectus, sed Sacerdoti  
quoque ministerio exutus fuit: deinde in  
Bar-

Barsumam Archimandritam, qui maturandæ Flaviani necis auctor erat, conclamatum: Eutyches denuo fulmine anathematis percussus, totumque latrocinium Ephesinum diris devotum: Flaviani Sanctissimi Episcopi, & inter Martyres postea recensiti memoria honorifice restituta, cuius exuviae jam antea Constantinopolin translatæ fuerunt: recitata Episcoporum prope centum suffragia in Conciliabulo Ephesino ab ipsis lata, quæ licet vim metumque cauillati non tamen sine ignominia nota, ruboreque suffusi audivere; lecta demum celeberrima Leonis Papæ epistola, quam ut inviolabilem Orthodoxi dogmatis normam Patres omnes summa veneratione exceperunt, exclamare audit: *Petrus per Leonem locutus est.* Ut autem dogma fidei contra Eutychetis hæresin fideliū mentibus nunquam excideret, Ecclesia memoriam ejusdem renovat in Symbolo fidei, quod D. Athanasio adscribitur, dum profitetur: *Unus non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humilitatis in Deum: unus omnino non confatione substantiæ, sed unitate personæ.*

CXJ.

Sepulta videri poterat hæresis Eutychiana, quum ex illius cineribus nova Monothæ-

theitarum, ut vocant, surrexit. Rei series hæc est: Quum Heraclius Orientis Imperator e bello Persico victor Hierapolin venisset, accessit eum Anastasius, quem Jacobitarum Patriarcham dixerat, homo admodum vafer & perniciosus, motisque cum Imperatore fidei sermonibus multa de Nestorio duas in Christo personas, uti & naturas esse docente, multa de Eutychete, unam quidem personam, sed unam quoque duntaxat natu-ram admittente differuit, quum velut improviso ad aliam delapsus quæstionem interpellavit Heraclium, an una vel duæ voluntates ac operationes in Christo essent statuendæ? hæsit ad interrogationem mi-nime exspectatam Imperator, & nescius quid responderet, remisit Anastasium ad-monitum quidem, ut Concilio Chalcedo-nensi duas in Christo naturas esse contra Eutychetem definiti firmus insisteret; in-terea vero super proposita quæstione Ser-gium Patriarcham Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis tunc Episcopum con-suleret. Qui quum pro unica starent voluntate, collatis consiliis & studiis Triumviri hi persuaserunt Heraclio mi-nus caute ac temere sacris se negotiis immiscenti, ac obliito Imperatorem se esse, non Pontificem, ut edictum Ethesim ad-

adpellatum publicaret, quo omnibus præcepit unicam in Christo profiteri voluntatem. Rebus ad votum succedentibus ultra progressi Sergius Constantinopoli, & Cyrus Alexandriæ, ad quam Sedem Patriarchalem tanquam pro mercede iniqutatis promotus est, coactis Conciliis Monothelitarum hæresi portam aperuerunt, non tam cito claudendam. Illorum dux erat, ut multi tradunt, Theodorus Pharanitanæ Ecclesiæ Episcopus, qui cum Sergio, & Cyro communī consilio fidei formulam edidit, quæ novem continebat articulos, Catholicos omnes, si unum excipias, quo dicebatur: *sicut in Christo est unus operator & unus volens, ita unam esse voluntatem, unamque operationem.* quemadmodum enim instrumenti, ut ajebant, unica eaque communis est operatio, cuius principium est in artifice, ita dicebant in Christo, in quo anima rationalis, corpus, aliæque corporis facultatis instrumenti instar sè haberent, ejus divinitatem tanquam artificem principium esse omnium operationum. Verum perspecta doctrinæ hujus novitate Sophronius, pri-  
num Alexandriæ Monachus, postea Hierosolymorum Episcopus omni qua potuit vi obstitit nascenti errori, qua lingua qua calamo, datis etiam literis tum ad Ser-

gium & Cyrum, quibus male sarti dogma-  
tis falsitatem demonstravit, tum ad Ho-  
norium Papam, quibus eum solicitavit,  
ut tantæ perfidiæ quamprimum occurre-  
ret. Suspicatus rem ut erat, Sergius vir  
sagacissimus, & in omnem nocendi occa-  
sionem intentus, literas & ipse nihil cun-  
ctatus ad Honorium exaravit, fraudibus  
& mendaciis refertas, quas ex actis Con-  
cilii excerptas exhibet Ludovicus du Mes-  
nil S. J. in sua doctrina & Disciplina Ec-  
clesiæ (m). In his Pontificem certiorem  
reddit, Ægypti, Lybiæ, & finitimarum  
provinciarum populos omnes Chalcedo-  
nensis Concilii decretis, quibus tamdiu  
restiterunt, facillime victas manus datu-  
ros esse, modo temperentur unius in Chri-  
sto voluntatis & operationis professione:  
unum fuisse Sophronium, qui Patrum quo-  
rumdam obscura satis auctoritate fultum  
dogmati huic, simul & concordiæ pertin-  
citer obstitisset: nunc tamen & istum,  
quum discordias in apertum schisma de-  
generare perspiciat, cervicem inflexisse  
pacis studio, ita ut contentus omnino vi-  
deatur fore, si salva in cæteris fidei sub-  
stantia „ vox tam unius quam duplicitis  
„ voluntatis silentio premeretur, quum  
„ vox quidem unius operationis, licet di-

,, &amp;c.

„ cta sit a nonnullis SS. Patribus, sit  
„ nova & aliena, & conturbentur aures  
„ aliquorum existimantium, ea proferri  
„ ad tollendas duas naturas, quae in Chri-  
„ sto Deo nostro unitae sunt confuse. . . .  
„ similiter autem duarum operationum  
„ vox multos offendat, ut quae dicta  
„ sit a nullo divinorum Mystagogorum  
„ &c., Addit denique doctrinam hanc  
excerptam esse ex libro dogmatico a Men-  
na Patriarcha Constantinopolitano ad Vi-  
gilium PP. transmiso de una operatione  
& una voluntate, cuius exemplar prope-  
diem Imperatori esset exhibitus. Frau-  
dulentis his litteris circumventus Hono-  
rius Sergio, ut videbatur, viro in spe-  
ciem bono & sincero rescripsit, adpro-  
bavitque, quod ab eo proponebatur, silentium  
sperans fore pacis vinculum. Præ-  
terea animadvertisit, has voces publice pro-  
latas infirmos posse in periculum erroris  
conjicere, ac si duæ in Christo voluntates  
sibi ipsis contrariae forent, quod tamen a  
fide alienum esset: quin timendum esse,  
ne voce unius voluntatis & operationis  
occasio prebeatur quibusdam suscitandi  
haeresin Eutychetis de Christi naturæ divi-  
næ ac humanæ in unam permixtione,  
contra quam definiisset Concilium Chalce-  
donense; voce autem geminæ voluntatis

& operationis detur aliis ansa suspicandi, duplēcēm esse codem in Christo personam, ut perperam docuit Nestorius, a Concilio Ephesino I. damnatus. Nihilominus monuit, profiteri oportere duas in Christo naturas, divinam & humanam absque ulla confusione aut divisione, & unicuique earum proprias operationes esse tribuendas. Postremo mandavit, ne sublatō vocis novellā, unius vel geminā voluntatis, scandalō quisquam aliquid circa unam vel duas operationes definiat. Hęc est synopsis epistolę ab Honorio ad Sergium missā. Acquievit quidem Romanę sententiam Sophronius, ut tempori cederet, non item Sergius, qui cum suis palam jactare ausus est, ex Honorii Pontificis sententia nonnisi unicam in Christo voluntatem ab Orthodoxis esse admittendam. Atque huic calumnię, quam absens diluere satis haud poterat, præpropere immortuus est Pontifex, antequam causa penitus examinata perspectaque Monothelitas damnare potuerit. Interea per annos quadraginta semper latius serpere cœpit pestilens dogma sub Pyrrho & Paullo in Constantinopolitano Patriarchatu Sergii successoribus; Constans quoque Imperator edictum nomine *Typi* promulgavit, quo unius aut duarum voluntatum profes-

sio peræque vetabatur : nec tamen defuerunt, qui toto virium ac ingenii robore contra hæresin hanc decertarunt, scilicet Sophronius de quo dixi, S. Joannes Eleemosynarius, Alexandrinus Patriarcha, & Arcadius Cyri Archipræsul insignis, qui e variis Scripturæ Sacræ locis Christum ipsum docuisse duplicem in se voluntatem esse, divinam unam & humanam alteram, invicte demonstrarunt : *Pater si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (n)* Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me Patris (o) quibus verbis innuit Servator, habere se duas voluntates, humanam, quam per obedientiam subjiciebat divinæ, & non solum divinam, quæ suppleret humanam, uti Monothelitæ contenderunt. Præ reliquis autem S. Maximus Monachus & Martyr claruit in hoc sacro contra hæreticos hos prælio, in quo nedium de Pyrrho illorum heroe præ:puo triumphavit, & ad ejurandum errorem devictum compulit, sed etiam variis ipse contumeliis, verberibus, & opprobriis, exilio triplici, dexteræ manus & linguae amputatione pro fide Catho-

(n) *Luc. 22.*

(o) *Joann. 6.*

tholica vexatus infracto semper animo perststit. Placuit tandem divinæ Providentiaz malis his finem imponere convocato Constantinopolin Concilio Oecumenico sexto, Agathone Ecclesiam, Constantino Pogonato Imperium gubernante. Celebrabatur illud in Palatii Imperatorii Secretario ut vocant, *Trullus* dicto: est autem Trullus seu Trulla sublimis fornix in altum porrectus, & in rotundum concomeratus. Interfuit omnibus fere actionibus Cæsar ipse, eminentiore quidem loco conspicuus, quamvis ultimus subscripte rit: a sinistris tanquam digniore in Ecclesia loco confedere Sedis Apostolicæ Legati Theodorus & Georgius Presbyteri, Joannes Diaconus, & ut refert Anastasius in Agathone, Constantius Subdiaconus: a dextris vero Patriarchæ Constantinopolitanus, & Antiochenus, ac vacantium Alexandrinæ & Hierosolymitanæ sedium legati: Patrum præsentium numerus erat ducentorum octoginta & novem. In hac synodo perinde Honorio ac cæteris Monothelitis Sergio, Cyro, Pyrrho & Paullo anathema dictum est, ut palam faciunt Acta hujus Concilii (p). Evidem heic Baronius (q) Bellarminus, Binius,

(p) *Aetione 13.*(q) *Ad annum 681.*

Binius, Marchesius aliique ut Honorium ab hæresis nota eximant, in suspicionem vocant *Acta sextæ Synodi*, ac si a Græcis corrupta fuissent, nomenque Honori per nefas insertum loco Theodori (Pharanitani) ab iisdem expuncti; quamvis id nihil novi apud Græcos, quum & *Acta quintæ Synodi* vitiari testibus Patribus (r): nihilominus melior videtur esse illorum opinio & epicrisis, qui Honorium a sexta Synodo damnatum fuisse asserunt, non quod hæresin re ipsa tenuerit aut docuerit, uti satis ex allata ejusdem epistola ad Sergium patet, sed quod tam sancto munere suo non rite functus justo indulgentior fuerit non sine fidelium scandalo, & ambiguis loquendi formulis Monothelitarum errori plus æquo faventem se exhibuerit, nec licet gravissimis Sophronii literis admonitus, nascentem hæresin Apostolica auctoritate, ut decuisset, in cunis oppresserit. Clarissime huic sententiæ suffragatur Leo II. epistola ad Episcopos Hispaniæ data, accusans illum, quod flammarum hæretici dogmatis incipientem, non sicut debuit, extinxit, sed negligendo fovit. & epistola

(r) *Act. 12. & 14. Synodi sextæ.*

la ad Imperatorem Constantiū: Ecclesiam Apostolicā traditionis doctrinā illustrare neglexit, fidemque immaculatam maculari permisit. Cætera Monothelitarum secta cum auctoribus suis in hoc Concilio Constantinopolitano Oecumenico post octodecim actiones, & anni unius decursum solemnī ritu damnata fuit, universo Patrum cœtu acclamante: *Omnès ita credimus, hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum: Petrus in Agathone locutus est: & Constantino subscribente: Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum legimus & consensimus.*

## §. IV.

*Controversia cum Græcis.*

## CXII.

**G**ræcorum schismatis Seculo IX. exorti originem ac progressionem exhibere licet, non item invenire finem. Græcos inquietæ indolis homines, & ad res novas turbasque semper pronos immani fastu replevit Imperii Romani sedes Roma Byzantium translata: majores animos addidit

dedit ejusdem imperii divisio in Orientem & Occidentem. Hinc superbia inflati, & Imperatorum suorum potentia freti non cives modo Constantinopolitani, verum etiam Antistites sacri ac Patriarchae Romani Pontificis auctoritatem paullatim infringere, jugumque excutere tentarunt. Quatuordecim vicibus ab Ecclesia Romana scissos & ad eandem toties reversos prodit Hosius (s). Prima velut semina jaesta fuerunt sub duobus Leonibus, Isauro & Armeno Iconoclastis; nunquam tamen res in apertum schisma erupit, usque dum pertinacioris ambitus homo latam illi januam aperuit. Photius is fuit, in quo cum natalium splendore ac eruditione profana ambitio, perfidia & crudelitas de palma certabant. Hic Bardæ supremi in Aula Michaelis III. Imperatoris Satrapæ machinis ad Sedem Patriarchalem Constantinopoli evectus est, per invidiam inde dejecto S. Ignatio, qui Bardæ iram in se concitavit, dum eum ob incestam cum nuru consuetudinem fidellum communione privavit, & a SS. Mysteriorum consortio repulit. Sed mutata brevi scena a Basilio Macedone Michaelis

(s) *Lib. de Sacerdot. conjug.*

lis successore Ignatius ab exilio revocatus  
pristinæ sedi restituitur expulso inde Photio,  
qui & ab Adriano II. Pontifice in  
octava Synodo Oecumenica Constantino-  
poli coacta e Catholicorum cœtu submo-  
tus est, atque a Basilio totaque Synodo  
damnatus tum ob seditionem, quam in-  
ter Episcopos adversus Romanum Ponti-  
ficem excitavit, tum ob audaciam, qua  
in eundem sententiam dicere non dubi-  
tavit. Ita sopitum credebatur incendium:  
sed fatis erepto Ignatio, & Basilio ab Ec-  
clesia Romana multum postea alienato  
Photius denuo Imperatoris gratiam &  
Sedem Constantinopolitanam occupat, fir-  
matus in ea armatis vix non precibus  
extorto consensu Joannis VIII. Papæ,  
non prævidentis, quam funestum id Ec-  
clesiæ toti futurum esset. Verum simu-  
lationis ac perfidiæ præmio diu frui non  
licuit Photio, utpote quem perspecta  
ipsius indole Leo IV. cognomento Phi-  
losophus, Basili filius, dignitate pristina  
exutum intra cœnobii parietes conclusit;  
quo autem anno, quo ve mortis genere  
diri schismatis auctor extinctus sit, in-  
certum est. Varia tunc belli hujus faci-  
fortuna: Photiana factio recrudescere  
cœcepit sub Sissilio Patriarcha, vehemen-  
tius adhuc sub Michael Cærulario, qui  
ambi-

ambitione stimulante eo vesaniæ processit, ut insignia Summi Ponificis usurpare ac Oecumenici Patriarchæ titulum arrogare sibi ausus fuisse dicatur. Nihil equidem Leo IX. Papa in hoc rerum articulo reliquum fecit ad concordiam utrinque renovandam scriptis epistolis, missisque ad Constantimum Imperatorem Legatis: sed hic vulpem induitus primum quidem paci favere visus est, mox tamen Cærularii defectionem calculo suo probavit. Major spes affulsit post ducentorum fere annorum turbas & vicissitudines, Imperium Orientis moderante Michaele Palæologo, & ad Ecclesiæ clavum sedente Gregorio X. Hic enim Concilium Lugduni indixit, quod inter Oecumenica decimum quartum erat, & Lugdunense secundum. In hoc coram summe conspicuo plusquam mille Patrum confessu Legati Imperatoris Michaelis Palæologi, ac Metropolitanorum tam suo, quam illorum nomine schisma ejurarunt, publice professi Ecclesiæ Romanæ fidem, & primatum Papæ agnoscentes addito etiam alio juramento, quo nunquam posthac a Romanæ Ecclesiæ obedientia recessuros se sancte pollicebantur. Ita plaudentibus universis, Deoque gratias solemnes agentibus finis impositus est Conilio, non item schismati.

Equi-

Equidem Michael Palæologus fidem datam constanter tenuit, & orthodoxiam Romanam per totius vitæ reliquæ decursum professus est, cæteris tamen Græcis brevi ad ingenium & vomitum redeuntibus.

## CXIII.

Verum Eugenius IV. Papa post elapsos centum & sexaginta fere annos denuo viam concordiæ ineundæ aperuit, dum dissoluto graves ob caussas per decretum Romæ a se editum Concilio Basileensi aliud Ferrariæ indixit pro stabilienda cum Græcis concordia, ubi in sessione tertia producti fuerunt articuli quinque præcipui, in quibus Ecclesia Græca dissidebat a Latina: primo, quod Spiritum S. a Patre Filioque procedere negaret. Secundo, quod Evcharistiæ Sacramentum non in pane azymo, sed in solo fermentato confici posse diceret. Tertio, quod Purgatorium nullum esse teneret, quamvis non desint, qui putent, ignem dunt taxat purgatorii negasse Græcos. Quartio, quod justis æternam felicitatem conferri, vel damnatis æternum infligi supplicium ante diem judicij abnueret. Quinto denique, quod Pontificem totius Ecclesiæ Caput, Beati Petri Successorem, totiusque

que Ecclesiæ *Primatem* esse fateri nollet. De his articulis acriter disputatum est per breves syllogismos, uti placebat Græcis, prolixitudinem Latinorum accusantibus, hancque viam brevissimam certissimamque qua veritas erueretur, amplectentibus: Seni autem ex Latinis, & totidem ex Græcis delecti fuerunt, uno disputationis thema proferente, respondentे altero, & interpretibus utrinque adhibitis. Quum vero Ferrariam pestilens lues invassisset, Synodus Florentiam est translata, ubi eadem capita uberioris discuti cœperunt. Maxime seruebat controversia circa Spiritum sanctum, qui quod a solo Patre, non autem a Filio procedat, Græci ut probarent, verba illa Christi apud Joannem (t) in medium adduxerunt: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Quibus e verbis demonitrare se credebant Græci, Spiritum sanctum a Filio non procedere, quoniam solum mentio fit, quod a Patre procedat, hocque ipsa Veritas Dei filius asserat. Verum Latini Patres his ipsis Christi verbis usi sunt ad Græcos erroris sui convincendos. Ajebant enim,

con-

(t) *Cap. 15.*

conceptis verbis dixisse Christum: *quem ego mittam vobis a Patre.* Si autem mitteretur Spiritus S. a Filio, etiam ab illo procedere, quia ut optime advertunt S. Hilarius (u) & S. Augustinus (x) in divinis nulla persona mittitur ab alia, nisi procedat ab ea; unde Pater nunquam dicitur, mitti, quoniam a nulla persona procedit: Filius vero dicitur mitti a Patre, non a Spiritu sancto, quia a Patre procedit, non a Spiritu S. quare concludebant Latini, quum in hoc Evangelistæ loco dicatur Spiritus S. a Patre & Filio mitti, eum quoque a Patre Filioque procedere. Porro in rei hujus confirmationem adduxerunt aliud Christi testimonium (y): *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet & annunciat vobis, scilicet Spiritus sanctus.* Si enim omnia, quæ Pater habet, habeat & filius, habebit iste eandem virtutem, quam *Spirativam* vocant, per quam procedit a Patre Spiritus S. igitur hic non solum a Patre, sed etiam a Filio, procedit. Hæc tanti momenti visa fuerunt, ut Græci vietas manus dederint, & Concilii Florentini Patres in literis *unionis* hæc verba inseri-  
decre-

(u) L. 8. de Trinit.

(x) L. 4. de Trinit.

(y) Ioan. 16.

decreverint: Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Primogenito Filio suo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse filius a Patre æternaliter babet, a quo etiam æternaliter genitus est. Tum vero in sessione decima octava Florentiæ habita examini subjectum fuit additamentum illud *Filioque*, utpote quam particulam Nicænæ fidei Symbolo male additam fuisse a Latinis criminabantur Græci; & re ipsa vox hæc scintilla fuit, e qua tantum incendium est excitatum. Quo tempore factum sit additamentum istud, non satis pro comperto est. Peritiores Critici hoc tribuunt Nicolao I. Pontifici circa an. 858. eo videlicet tempore, quo apud Græcos Photii schisma cœpit. Nam Photius hic in encyclica quadam Nicolao exprobrat, quod addendo particulam hanc *Filioque* anathema incurrit ab Ephesina Synodo latam contra quoscunque, qui Nicænæ fidei Symbolo quidquam adderent. Huic querelæ satisfecere Latini, demonstrantes imprimis, hoc additamentum jam reperiri in literis Papæ Damasi, cuius opera Concilium Constantinopolitanum I. circa annum 384. celebratum fuit, ipsumque Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum, virum doctissimum,

mum, qui floruit circa an. 490. Damasi locum e puris Græcorum formulis erutum citare his verbis: *Credimus Spiritum sanctum neque esse Patrem, neque Filium, sed ex Patre procedentem & Filio.* Dein usurpasse hanc particulam *Filioque* suo in Symbolo Concilium Toletanum VIII. circa annum 553. ante ortum schisma Græcorum, utpote acceptam a Leone I. Papa: huic symbolo Toletano adhaesisse Episcopos Hispaniæ Visigothorum tempore, quin & Episcopos Galliæ sub Carolo M. uti constat ex Concilio Arelatensi. Demum, quod ad Nicolaum I. adtineret, cum quidem fortassis primum fuisse, qui auctoritate Pontificia additamentum hoc in Symbolo fidei stabilivit, licet jam plurimis ante se annis usurpatum, & a Damaso ac Leone PP. profectum, erasum autem a Græcis e multis Conciliis. Præter hæc Cardinalis Julianus fuse docteque explicavit, prohibitum duntaxat fuisse in Concilio Ephesino, ne fidei Nicænæ symbolo vel unus apex addetur, scilicet contra veritates revelatas, ibique definitas, neutiquam vero, si hoc fieret veritatis alicujus magis declarandæ caussa. Perrupto hac ratione erroris circa Spiritum S. muro Græci in cæteris quoque capitibus controversis facile con-

vene-

venere cum Latinis. Itaque feliciter tandem conclusum fait, & Decretum *unionis* (seu Literæ *unionis* utriusque Ecclesiæ, Græcæ ac Latinæ, continentes definitionem a duodecim selectis viris Græcæ simul ac latine conscriptam) conditum, & a Synodi Patribus subscriptum adprobatumque solemni ritu est promulgatum, cuius initium: *Lætentur cœli & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit.* Quatuor autem in eo continentur synodi decreta: Primum est, quod Spiritus S. a Patre filioque procedat, atque particula *Filioque* veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate non sine consilio addita sit Symbolo: secundum, quod sive in Azimo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi vere conficiatur, ita ut Sacerdos in alterutro consecrare teneatur, unusquisque scilicet secundum suæ sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiæ morem: Tertium, quod animæ in charitate decedentes ex hac vita, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis peccatis satisfecerint, pœnis *purgatorii* post mortem expientur, eisque profint vivorum suffragia: Quartum, quod Romanus Pontifex in universum

orbem teneat primatum, quodque sit verus Petri Successor, & Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput. Accesserunt triumpho huic Armeni quoque ac Jacobitæ, similiter cum Ecclesia Catholica reconciliati. Ita pax diu desiderata coailuit, sed quæ brevi post tempore rupta est per Marcum Ephesinum, quo instigante Græci vix domum reversi ad ingenium græcamque fidem redierunt, in antiquum chaos & schisma relapsi, cujus criminis severas non multo post poenas dederunt divinæ Nemesis, capta a Turcis an. 1453. Imperii sede Constantinopoli, injectoque servitutis durissimæ jugo, sub quo etiamnum hodie ingemiscunt.

## §. V.

*Controversia cum Lutheranis, & Calvinianis.*

## CXIV.

**P**riusquam ad hæresis Lutheranæ ac Calvinianæ dira prælia, & clades funestissimas Germaniæ ac Galliæ illatas descendam, visum est pauca præmittere de Wicleffiana & Hussitica secta, tum ob affinitatem errorum, tum ob vicinitatem, qua una hæresis alteri viam stravit,

vit, portamque aperuit. Joannes Wickeffus, Presbyter ac Theologiæ Doctor, in Academia Oxoniensi, homo acris ingenii, sed pertinacis, & ambitioni supra modum deditus, quum præfecturam Cantuariensis Collegii invadentis ausibus vehementer obsisterent Archipræsul primum, mox & Urbanus V. Papa, furorem omnem in Ecclesiasticum Ordinem effudit. Favebant viro seditioso, & Procerum aures mulcere sueto Joannes Dux Lancastriæ, & Joanna Princeps Walliæ. Non parum quoque impiis conatibus serviebant tum ingens schisma, quod post Gregorii XI. obitum Ecclesiam in partes distractit, tum res Angliæ id temporis oppido perturbatae. Quare his tutus præsidiis nefaria dogmata sua palam spargere non est veritus. Præcipui fuere pestilentis doctrinæ articuli : „ Omnia „, „ absoluta necessitate evenire : Sacramen- „ torum vim ac virtutem a Ministri san- „ ctitate pendere ; proin Episcopum vel „ Sacerdotem in peccato mortali exi- „ stentem nec rite ordinare, nec conse- „ crare, nec baptismum conferre : sacra- „ mentorum administrationem etiam Lai- „ cis, modo iustis & probis, competere : „ Substantiam panis & vini post conse- „ crationem in Eucharistia remanere :

„ Episcopum quin & Regem peccati lethalis reum omni potestate privari:  
 „ penes Principes Laicos esse facultatem  
 „ sacra divinaque definiendi: Imperatores,  
 „ Principes diabolo manus dedisse,  
 „ quum Ecclesias praediis & facultatibus  
 „ ditarunt; has illis confestim auferendas  
 „ esse, quum sine injuria Evangelio irrogata possideri ab iis nequeant, immo  
 „ Papam & cæteros Ecclesiæ ministros  
 „ talia bona possidentes contra jus divi-  
 „ num agere, ac hæreticos esse: Religio-  
 „ sis institutis homines ineptos fieri fer-  
 „ vandis Dei mandatis: Academias, stu-  
 „ dia, Gradus diaboli negotium esse &c. „

Hæc aliaque nefanda dogmata execrabantur boni omnes: eorum viginti quatuor Wilhelmus Cantuariensis Antistes in numerosa Episcoporum Synodo Londini celebrata proscriptis, Concilium vero Constantiense sessione octava quadraginta quinque ex ipsius libris de promta damnavit: solum vulgus turbarum studiosum, & potentes quædam bonorum Ecclesiasticorum harpyæ probabant. Compressus tamen est furor hic a Richardo II. Anglorum Rege ac successoribus, quorum jussu flammis absunti sunt, quos scripsit Wicleffus, libri. Ipse Auctor apoplexia correptus misero interisse fato citur

citur an. 1384. Nec mitius actum cum mortuo: divinam Nemesin secuta est humana, dum Concilii Constantiensis decreto defuncti ossa e tumulo eruta, & in cineres redacta fuerunt, pœna in hæresiarchas pridem constituta.

E cineribus Wicleffi prodïisse visus est Joannes Hus, natione Bohemus, Presbyter & Academiæ Pragensis Rector, vir inter suos ingenio & eruditione clarus. Hic e libris Wicleffi in Bohemiam delatis venenum hausit, jamque discipulus Magistro non inferior cœpit eandem hæresin profiteri, novis erroribus auctam. Præterquam enim quod quadraginta quinque articulos Wicleffi injuste ac inique damnatos assereret, docebat Ecclesiæ corpus non aliis gaudere membris quam eleætis ad vitam æternam: Caput ejusdem fuisse D. Petrum negabat: præcipue vero in mensa Evcharistica calicis usum etiam *Laicis* omnino necessarium esse contendebat. Missæ tamen sacrificio nunquam abstinuit, quod adeo abominantur Calvini & Lutheri affæclæ, quamvis Hussium Doctorem suum, Prophetam, immo Martyrem profitantur. Non erat difficile homini scelerato tam impia dogmata spargere sub Wenceslao similiter impio Rege, ac inter turbas Academicas ab eo

dem concitatas. Totam brevi Bohemiam seditionis concionibus commovit, suasque in partes traxit. Quare ad causam dicendam a Joanne XXIII. Romam vocatus quum obsequi detractaret, Conclio Constantiensi sistere se cum discipulo suo Hieronymo Pragensi iussus est a Sigismundo Imperatore. In eo errorum convictus, & ut palinodiam caneret, a Cæsare monitus fuga sibi consuluit, e qua retractus & contumacior factus Patrum sententia sacerdotali officio exuitur, & Judicium profanorum potestati traditur, qui eum ideo addixerunt. Itaque datus est redimitus mytra papyracea, pictis in ea dæmonibus, hac cum epigraephè: *Hæresiarcha*, & extremo ignis supplicio affectus, Hieronymo eandem paullo post sortem subeunte. Extincta tamen non est cum parentibus suis secta Hussitarum. ex arbore infasta pullularunt infelices rami, qui eidem licet trunco insiti, sed inter se divisi per totum se regnum propagarunt, & plurima bellorum & calamitatum semina post se reliquerunt. Præ reliquis memorandi veniunt Thaboritæ & Calixtini, illi a castro Thabor sic appellati, quod colli imminentis seditionis arcem constituerant duce Joanne Ziska, homine truculento,

&amp;

& jurato Catholicorum, maxime Sacerdotum hoste ac carnifice: hi a Calice nomen adepti, cuius pertinaci desiderio flagrabant, ita ut suis in templis, dominibus, vexillis & armis calices pinxerint. His Concilium Basileense, communionem sub utraque specie indulxit, ea tamen conditione, ut liberam nec necessariam faterentur; (Nihil enim hoc fidei substantiae officiebat, quum constet, antiquioribus Ecclesiæ temporibus modo sub una, modo sub utraque specie sacram Synaxim *Laicis* fuisse distributam) Fassi sunt aliquamdiu: sed mox ad ingenium & arma redierunt, quibus totam vastarunt patriam, nonnisi octodecim annorum, a cipiti bello a Sigismundo Imperatore tandem vindicatam.

CXV.

Grandi periculo defuncta sibi videbatur Ecclesia profligatis, quas dixi, hæresibus, & Occidentali schismate per Concilium Constantiense sublato. Funestæ tamen hujus reliquæ paullatim graviori malo viam straverunt, Germaniam fere omnem ac Galliam pessumdaturo. Sacerdotio & Imperio inter se toties graviter colliso, & trium Pontificum pro iisdem aris & focis pertinaciter certantium diuturnis factionibus Sedes Apostolica &

Cleri dignitas contemptui esse cœpit: Leges Ecclesiasticae passim & impune violatae, *Dispensationes* quæ vulnera legum sunt, temere concessæ, privilegia immoderatius collata, Pastorum in administrandis & ovium in frequentandis fidei Catholicae mysteriis oscitantia, rerumque sacrarum neglectus supinæ ignorantiae junctus Ecclesiasticam disciplinam sensim vehementer enervarunt, & præluserunt ingentibus malis, quibus secta Lutherana & Calviniana cum reliqua appendice nobiliores Europæ nationes Seculo XVI. & succendentibus inundavit. Primus fuit Martinus Lutherus, qui Ecclesiæ subvertendæ manus admovit, quem Islebia oppidum Saxoniæ edidit in lucem an. 1483. Hic morte sodalis, quem fulmen cœlo lapsum a latere suo abstraxit, vehementer commotus Ordinis Eremitarum S. Augustini nomen dedit, & Wittenbergam missus in ea Academia recens condita Philosophicam Theologicamque Lauream est adeptus. Ibi lacram e cathedra professus doctrinam homo vanus & ambitione flagrans, sed ore ac eloquentia potens primum vehementer indignari cœpit, quando a Leone X. potestas promulgandi Indulgentias, pro ædificanda Vaticana Basilica Germaniæ populis

pulis concessas, Joanni Tezelio Ord. Præd. commissa fuit: id enim munericis Ordini suo sibi nescio quo jure arrogavit. Sed repulsam passus ab Archiepiscopo Moguntino, contra Indulgentias declamare ausus est cum pro Concione, tum propositis palam thesibus, exordio ab abusibus ducto, mox rem ipsam everttere conatus. Atque hæc modica scintilla sub invidiæ cineribus gliscens incendii latissime sparsi origo fuit. Certior factus de re tota Pontifex diem dicit Luthero, Romamque venire jubet ad causam dicendam: sed agente Friderico Saxonie Duce, cuius favorem propinata molli doctrina sua est aucupatus, declinat iter sibi periculosum, & Thomæ de Vio, Cardinali Cajetano, Apostolico per Germaniam Legato Augustæ sistitur a Joanne Staupizio, qui tunc supremi Ordinis totius Antistitis vices gerebat, comitantibus scriba publico, & quatuor urbis illius Senatoribus. Hoc in congressu multis in utramque partem disputatis errorum suorum satis convictus tandem profitetur, statrum se decretis præcipuarum Academiarum, maxime Parisiensis, & Romanæ Ecclesiæ oraculis fore ut acquiesceret. Sed paullo post cum Staupizio fuga se subducit, adpellat ad Pon-

tificem, mox ab hoc ad Concilium Oecumenicum. Leo Papa vero nihil jam cunctandum ratus Lutherum diris Ecclesiasticis devovet, & anathemati subjicit. quare in tantam actus est rabiem, ut Pontificium Decretum & Corpus Juris Canonici, ut vocant, spectante Wittenberga ultricibus flammis exusserit. Crescente in dies singulos per Germaniam tumultu a Carolo V. Imperatore data fide publica vocatus ad Comitia Wormatiensia, proscriptus quidem, non tamen emendatus, immo pervicacior abiit, & quo securior esset, a Friderico Duce in arcem Thuringiae Wartburgam (quam Patmon suam novus hic Evangelista nuncupare solebat) subductus est. Ibi per decem omnino menses velut parturiens tandem sectam suam novam, vel potius ex antiquis erroribus male consarcinatam infausto partu in lucem effudit. Præcipui ejusdem characteres & articuli sunt:

„ Liberum hominis arbitrium Adami pec.

„ cato extinctum fuisse, nec superesse

„ nisi illius titulum, nullumque ejus ob-

„ sequium ad salutem promerendam sa-

„ tis virium habere, sed sola fide sine

„ bonis operibus hominem redi justum;

„ Romanum Pontificem esse Antichri-

„ stum, Imperatorem vero, Reges &

„ Prin-

„ Principes Catholicos Antichristi Satra-  
„ pas: solam Scripturam esse fidei regulam,  
„ nec quidquam credendum, nisi quod  
„ conceptis verbis in ea luce meridiana  
„ clarius continetur: cultum SS. Ico-  
„ num, ipsorumque quos exhibent Cœ-  
„ litum esse superstitiosum, & idolola-  
„ triæ affinem: Decalogi mandata ho-  
„ minibus observatu impossibilia esse:  
„ Sacramenta novæ legis nec gratiam  
„ conferre, nec characterem imprimere;  
„ immo quatuor aut quinque ex eorum  
„ numero esse expungenda; confessio-  
„ nem ad aures sacerdotis factam hu-  
„ manum esse inventum: in Eucharistiæ  
„ sacramento Christi corpus solo usu ad-  
„ esse; privatas Missas eliminandas: ( id  
„ quod longa disputatione a diabolo di-  
„ dicisse se professus est ) Indulgentias  
„ esse meras fraudes ad fideles decipien-  
„ dos, & pecuniis emungendos fabrica-  
„ tas: Sacerdotum cœlibatum & vota  
„ religiosa, jejunia, & pias corporis  
„ castigationes ad superstitiones diaboli-  
„ cas pertinere: purgantes flamas non  
„ esse nisi commentum ad terrorem in-  
„ cutiendum: sacros hominum Religioso-  
„ rum cœtus per orbem universum esse  
„ abolendos: opera bona ad salutem noxia  
„ potius quam utilia, immo peccata esse. „

Hæc

Hæc Lutherus : his plura adjecerunt cum tempore ejusdem affeclæ , truncarunt, mutarunt, usque adeo ut confusum chaos errorum plusquam Babylonicum Ecclesiæ suæ invexerint, cui nec mederi potuit liber ille symbolicus, *Augustana Confessio adpellatus*, quem in Comitiis Augustæ Vindelicorum celebratis Carolo V. Imperatori Philippus Melanchton , mitigatorum Lutheranorum dux obtulit. Lutherus vero sectam suam recens natam magnis quotidie incrementis latissime propagari cernens (Principes enim objecta Ecclesiarum & Monasteriorum præda, plebeios vero vitæ mollis, & fidei morumque libertas inescavit) in majores ausus exsurrexit : Sacerdotes enim & Cœnobitas utriusque sexus soluto fractoque castimoniæ voto ad ineunda connubia pellexit exemplo suo, dum Leonardum Kop-pum, Achatem suum, sacram si superis placet expeditionem suscipere jussit in Parthenonem Nimicensem, e quo tria Monialium plauftra fuerant avecta , inter quas fuit Catharina de Borret. hanc pridem Deo sacram Virginem Lutherus spectante frementeque orbe Christiano , sacrilego sibi conjugio copulavit , facem præferente Carolostadio proiectæ ætatis Presbytero Apostata , sequentibus exem-  
plum

plum Oecolampadio & Buccero, Monachis simul & Sacerdotibus. Tandem post vota calcata, postque fidem & Scripturam sacram corruptam eo ipso anno, quo Principes Schmalcaldici foederis, cuius iste classicum dudum cecinit, in Cæsarrem insurrexerunt, e vivis excessit, relicta posteris sui imagine in libris ac sermonibus, præsertim super mensam institutis & typo impressis. Tempore procedente Lutheranis nomen *Protestantium* adhæsit, & adhæret etiamnum a facto, quo in Comitiis Spiræ coactis Carolo Cæsari cæterisque principibus Catholicis *executionem Banni*, ut vocant, in Lutherum ejusque partarios dudum decreti, unaque postliminium bonorum Ecclesiasticorum urgentibus se se opposuerunt ac protestati sunt Joannes Dux Saxoniæ & Elector, Philippus Hassia Landgravius seu Marchio, aliique Lutheranæ sectæ Principes. Cæterum Lutheri dogmata vel ex toto vel ex parte amplexi sunt, atque singularium sectarum auctores existenterunt 1. Carolostadius Canonicus Wittenbergensis, qui post sacrilegas nuptias Missæ sacrificium abrogavit, templis & aris bellum indixit, & sepultam Sacramentariorum hæresin excitavit. 2. Zwinglius in Helvetia natus, urbis Tigurinæ Pastor,

Pastor, qui Ecclesiæ ritus & SS. Imagines evertit, latrevticum Evcharistiae cultum proscriptis, & gratiam per sacramenta conferri negavit. 3. Melanchton in Palatinatu ortus: hic fuit Lutheri discipulus, & apologiam pro ipso scripsit: ejus tamen errores, præcipue circa libertatem & Cœnam Domini, emollivit auctor Augustanæ Confessionis, cujus sectatores *Confessionistæ* appellantur. 4. Martinus Bucerus, Apostata, & dein Atgentinæ Minister, quo adnitente Hermannus Coloniensis Archiepiscopus turpiter a Catholica religione defecit. doctrina sua multum accessit Calvino; cui admodum familiaris erat, ut ex epistolis mutuo ad se datis constat: & pravæ *Reformationis* in Anglia posuit fundamenta. 5. Osiander, Brandenburgicus in Porussiam schisma Lutheranum intulit; hominesque ipsa dei justitia justos fieri docuit. 6. Brentius, Sacerdos Wittenbergensis & Apostata, qui Corpus Christi ubique, atque ideo in pane ante consecrationem esse docuit, eo quod sit unitum Verbo: ejus sequaces *Ubiquistæ* dicuntur. 7. Matthæus Flaccus Illyricus, rigidorum Lutheranorum Coryphaeus & Confessionistarum adversarius acerrimus, qui peccatum originis ipsam hominis substantiam esse

*Historica seu Controversiae &c.* 691  
esse voluit, sicutque præcipuus Centuria-  
rum Magdeburgensium Compilator.

## CXVI.

Eodem Seculo XVI. dum Lutherus Germaniam, erroribus suis Galliam infecit Joannes Calvinus, Novioduni in Picardia natus an. 1509. Humanioribus literis & Philosophicis artibus Lutetiæ imbutus Jurisprudentiæ operam dedit, doctrinæ Theologicæ expers, ut Beza fatur ejusdem furfutis homo. Aris quidem adhuc adolescentem destinavit parentes, sed ille post hujus fata venditis duobus sacerdotiis liberiori vitæ totum se dedit. Ferunt hominem ad quævis facinora pronum ob luxuriæ crimen candeante lilio seu stigmate notatum fuisse. Virus autem hausit a Melchiore Wolmaro natione Germano, qui occulte Lutheri sectam profitebatur, quoque Calvinus in lingua Græca addiscenda Præceptore usus est. E discipulo brevi factus errorum Magister doctrinæ suæ semina spargere cœpit in variis Galliæ provinciis & oppidis, Pictavii, Neraci, ubi Margarithæ Reginæ Navarræ patrocinio tutus aliquantidu degebat, & Lutetiæ, ubi tamèn rugum vix effugit. Inde Basileam petiit, qua in civitate quatuor Institutionum liberos

bros in lucem dedit, eosque Francisco I. Galliarum Regi dedicare ausus est. Mox in Italiam profectus Renatam Ludovici Francorum Regis Filiam, Ducis Ferrarensis uxorem, sectæ suæ conciliavit, sed metu sacræ quam vocant *Inquisitionis* perculsus in Galliam rediit, ac tandem Genevæ sedem fixit, quæ civitas jam a fide Catholica defecerat. Quum vero Sorbona viginti quinque articulos edidisset de quæstionibus fidei controversiis, Calvinus scripsit Antidotum aduersus illos, aliosque libros de *servo arbitrio*. In his & prioribus non tam suam, quam ex Lutheri, Zwinglii, Melanchtonis & Oecolampadii scriptis maxima parte de promtam doctrinam complexus est, styli elegantia, qua pollebat, exornans fœda dogmata, quibus aliqua e suis adjecit, ut novi systematis auctor haberetur, id quod ipsi ex voto successit. Præcipua, quibus a reliquis se distinguit, errorum capita sunt : „ Filios fidelium nasci san-  
„ ctos, nec baptismō indigere, infide-  
„ lium vero filiis baptismum non pro-  
„ desse : plenam & absolutam fidelibus  
„ omnibus consequendæ salutis certitu-  
„ dinem esse, cuius pignus foret vel  
„ modica fidei portio : iustitiam semel  
„ adeptam prorsus amitti non posse :  
„ nul-

„ nulla hominem libertate præditum  
„ esse, nec integrum ei, ut peccet, sed  
„ ad peccandum cogi: liberum arbitrium  
„ divinæ gratiæ motione tolli, gratiam-  
„ que semper ex se efficacem esse: in  
„ Eucharistia Christum plane non con-  
„ tineri, sed eam esse nudam ejusdem  
„ Christi Domini figuram: nec Confir-  
„ mationem nec extremam Unctionem  
„ esse Sacra menta: Missam nec a Chri-  
„ sto institutam, nec sacrificium, nec  
„ bonum opus esse: nullum esse mor-  
„ tale peccatum præter incredulitatem:  
„ nullum esse opus hominis vitæ æter-  
„ næ meritorium. &c. „ Ad blasphemias  
vero Calvini pertinet: Dei Filium non  
pro omnibus, sed pro solis ad gloriam  
*prædestinatis* mortuum esse: Eundem in  
cruce desperasse: Deum auctorem pec-  
cati esse, ejusque mandata observari non  
posse. Mors Calvini vitæ similis erat;  
nam quum ad extrema deduci se vide-  
ret, natalibus suis ac studiis male pre-  
catus vitam miserrime finiit. Evidem  
Franciscus I. & Henricus II. Gallæ Re-  
ges severissimis editiis errores hos toto  
regno proscripsere, ac ultricibus etiam  
flamnis vindicarunt. At Francisco II.  
vita functo Condæus Regii sanguinis Prin-  
ceps, regnique Administer magnopere se-

ctæ novæ, ac palam favit, quæ adnitente Henrico Navarræo, connivente etiam Catharina Medicæa Regia Matre altas radices egit. Eversa passim templo ab Hugonotis (ita in Gallia Calvinistæ vocari cœperunt incerta origine) prostratae imagines, conculcata sacra religionis instrumenta, & ubique in avitæ pietatis monumenta sœvitum. Tandem in apertam rebellionem erupit Hugonotorum furor, quem Gallia sensit, quadraginta fere annis ingentibus belli civilis tumultibus agitata. Hanc ut incendio eriperet, nihil non egit Carolus IX. consiliis & armis usus, ut ab impia hæresi libditos sibi populos ac Proceres in Ecclesiæ Catholicæ gremium revocaret. Margarita Caroli sorore Henrico Navarræo in matrimonium collocata nuptialis dies D. Bartholomæo sacer cruenta cæde funestatus fuit. Nam condicta opera, ut ferunt, Regisque mandato ingens toto regno Hugonotorum strages edita est, cui nomen carnificinæ S. Bartholomæi adhæsit. Aliis quoque præliis commissis attriti potius quam domiti fuerunt rebelles: Henrico tamen Navarræ Rege, cui Galliæ regnum hæreditario jure obtigit, ad Ecclesiæ Catholicæ castra redeunte Galliæ ac religioni serenior tempestas redire visa est;

quam-

quamvis tempori adhuc cedendum fuerit, & Hugonotis indulgendum celebre Edictum Nannatense, quo religionis suæ exercendæ copia ipsis fiebat. Tandem rem Catholicam restituere Ludovici duo, XIII. & XIV. Ille Henrico IV. Patre tragica morte sublato Rupellam rebellionis arcem ingenti molimine expugnavit: Hic eam penitus excidit, & abolito fatali Edicto Nannatensi Calvinianæ sectæ *exercitium* omne toto regno proscriptis. Qua re factum est, ut plurimi ejuratis erroribus ad sinum matris Ecclesiæ redirent, alii vero partim in Hollandia & Anglia, partim in Helvetia & Borussia asylum quærentes Galliam purgarent. Reliquit tamen secta ista tanquam *mali corvi malum ovum* copiosam progeniem sequacium in diversas partes abeuntium, 1. quidem Puritanos seu rigidos Calvinistas, qui firmissime premunt Calvini vestigia, docentes cum ipso, Deum esse auctorem peccati, reprobare homines ante *demerita*, & reprobos impellere ad peccatum. 2. Arminianos, qui a Calvino in quæstionibus de gratia desciverunt. 3. Gomaristas, qui priorum doctrinæ circa *prædestinationem* & gratiæ auxilia refragantur. 4. Genevenses, qui nullos agnoscunt Episcopos, nec alia festa celebrant,

brant, quam diem Dominicam; negant cum Calvino, Regem esse Caput Ecclesiae; quibus tamen contrarium dogma tenent. Angli Calvinistæ contendentes, Reges jure divino in suis dominiis esse prima Ecclesiarum capita, illisque licere subditos adstringere jurejurando ad agnoscendum, ut vocant, *suprematum.*

## CXVII.

Contra utramque hanc sectam insurrexere Viri doctissimi clarissimique, qui calamo & manu fortissime impiis contubus restiterunt, & labantem Ecclesiam sustentarunt, avitæ fidei vindices gloriosi. Inter scriptores numerandi veniunt Joannes Eckius, Theologus gravissimus, qui contra Lutherum, Caroloſtadium, Oecolampodium, Melanchtonem aliosque scripsit Enchiridion, omnium fere controversiarum vindicem: Joannes Fischerus, Rochesteriensis Episcopus & Cardinalis, qui in diro Angliae schismate pro fide gloriosum sanguinem profudit, scripsitque multa contra Lutherum: Joannes Cochlaeus Canonicus Vratislaviensis plurima opuscula contra Lutherum, Bulingerum, Osiandrum, Melanchtonem, Bucerum & Calvinum edidit: Stanislaus Hosius Cardinalis Pii IV. in Concilio Tridentino

Lega-

Legatus, a Pio V. & Gregorio XIII. Ecclesiæ columna adpellatus, scriptis contra Confessionem Augustanam & hæreses sui temporis inclaruit: Joannes Faber Episcopus Viennensis primus e Catholicorum numero Lutherum aggressus est calamo, & publicis disputationibus: Jacobus David Perronius abjuratis Calvini erroribus factus primum Episcopus, dein Archiepiscopus, ac demum Cardinalis, acerrime infestatus est Calvinistas, pluresque disputando triumphos de illis retulit: Benignus Bossuet, Doctor Parisiensis, & Meldenium Episcopus, Malleus hæreticorum in Gallia, qui mirabilem illam eruditissimamque fidei Catholicæ expositionem scripsit, aliudque opus contra Novatores religionis falsi nominis *Reformatæ* edidit: Antonius Possevinus, Martinus Recanus, Franciscus Costerus, Laurentius Forerus, Ven. Petrus Canisius, Jacobus Gretserus aliquique quam plurimi e Societate Jesu tam in Gallia quam in Germania doctissimis libris, concionibus, disputationibus tum Catholicam rem conservarunt, tum hæreticorum istorum errores debellarunt. Quod hi calamo & ore, præstiterunt auctoritate, consiliis & armis Carolus Quintus, Ferdinandus I. Matthias, Ferdinandus II. Romanorum

Imperatores: Franciscus I. Henricus VI. Carolus IX. Ludovicus XIII. & Ludovicus XIV. Galliarum Reges, Guilielmus & Maximilianus, Bavariæ Duces &c. Præ omnibus tamen maximam triumphi partem sibi merito vendicat incomparabile illud, ac postremum inter Oecumenica Concilium Tridentinum, cuius notitiam Theologo summe necessariam non ita pridem subministravi.

## §. VI.

*Controversia cum Jansenianis.*

## CXVIII.

**S**uperest, ut extremorum temporum seu Seculi XVII. Controversia gravissima conspectui sistatur, quando nimirum Janseniana secta atrox bellum Ecclesiæ intulit, eo nocentior quo subtilior. Fundamentum illius posuisse visus est Michael Bajus, natus Melini an. 1513. Regius sacrarum Literarum Professor Lovaniæ. Hic varij generis errores diffidere cœpit inter discipulos suos, qui nullam Christi gratiam esse contendebant, quæ non per se ipsam efficax foret: unde concluserunt, eos qui Dei mandata violant, licet non potuerint illa observare

re (quippe auxilio ad id necessario destituti) peccati tamen reos se facere, quia ob culpam in Adamo contractam in istum inexcusabilis infirmitatis statum incident: contra vero justos efficacibus praeventos auxiliis, quamvis ita obedient legi, ut omnino nequeant non obedire, præmium tamen æternum promereri, ac libere agere, quia sponte agunt & voluntarie, licet antecedenti necessitate constricti; nullam enim in hac rerum providentia libertatem aliam admittebant, quam quæ coactioni opponeretur. Rursum quum gratia *medicinalis*, uti nuncupant, & efficax, præsertim perseverantiae in bono, fructus sit mortis Christi, inde colligebant, eum sane pro illis, qui perseverant & gloria donantur, mortem obiisse, at non pro illis, qui gloria excidunt, quosque sufficientibus ad eam consequendam auxiliis carere censebant. Hæc præcipua fuerunt Bajanæ doctrinæ capita, quæ subinde aucta & interpolata patronos nacta sunt illustriores. Inde virus manavit in Academiam Lovaniensem, & aliquot ejus doctores afflavit. Alii contra Catholicæ veritatis in eadem Academia defensores Bajum ejusque discipulos insectari non cessabant, ipsisque germanam cum Luthero & Calvino affinitatem:

objectare: Bajani vicissim illos Pelagianismi damnabant. Hinc assiduae & molestae in scholis Theologicis lites, a quibus quum impendere mali plurimum cerneret senior Academiae illius pars, dedit operam, ut a Sorbonicis Lutetiæ Doctoribus an. 1569. octodecim capita doctrinæ Baji configerentur. Censuram hanc Bajus contempnit, ac pristina dogmata venditare coepit ambitiosius, quin & libellis editis vulgare. Id ubi Romæ innotuit, totius rei judicium ad Pium V. Pontificem delatum est, qui contra Baji errores sententiam tulit Bulla ut vocant privata. Quum vero ea tempestate Belgium armis circumsonaret, & inter arma leges etiam sacræ silerent, a Baji gregalibus audita non est. Hinc nova Constitutione Gregorius XIII. Publicam fecit, misitque Lovanium ad eam promulgandam Franciscum Toletum S. J. postea sacra ornatum purpura, cuius opera & industria Michael Bajus dogmata sua publice, & submisse recantavit. Ambas porro Constitutiones Pontificias Lovaniensis Academia subscripsit, & adstricti jurejurando singuli Doctores sancte confirmarunt, se nihil ejusmodi unquam tradituros. Sed Magistrum peccantem, non item pœnitentem secuti sunt discipuli satis multi,

ut

ut locum etiam heic habere possit illa  
Vincentii Lirinensis admiratio: *O rerum  
conversio!* *Auctores ejusdem opinionis Ca-  
tholici, consecratores vero heretici indi-  
cantur: absolvuntur magistri, condemnan-  
tur discipuli.* Inter hos facile eminuit  
Jansonius Amstelodamus, cui instituen-  
dum se tradidit Cornelius Jansenius, Leer-  
damensis, quemque ut parentem obser-  
vabat. Hic Jansenius natus an. 1585.  
primam Lovanii Philosophiae lauream con-  
secutus, & Theologici Doctoris insigni-  
bus ibidem ornatus sacras literas publice  
profitebatur. Inde Bajonam discessit,  
ubi Joannis Vergerii, Abbatis San-Cy-  
rani, hominis æque novitatum cupidi,  
familiaritate usus cum eodem operis quod  
meditabatur rationes diligentissime con-  
tulit. Iprehensibus postmodum infulis de-  
coratus Augustinum studiorum suorum  
ducem ac magistrum sibi delegit, cuius  
operibus, præsertim libris de gratia evol-  
vendis noctes diesque consecravit. Quam  
longe autem a tanti Magistri doctrina  
aberrarit, fatis prodiit Opus posthu-  
mum, quod reliquit improbo viginti duo-  
rum annorum studio elucubratum, clam  
tamen, & solo fere conscientia quem dixi  
Vergerio. Nomen illi imposuit: *Augu-  
stinus Jansenii*, ac si diceret, doctrinam  
Yy 5. de

de gratia in his libris comprehensam esse doctrinam Augustini a Jansenio explicatam & declaratam. Volumen hoc satis vastum in tres Tomos distinxit Auctor, quorum primus octo libros continet de hæresi Pelagianæ agentes: Secundus quatuor partes complectitur: prima uno libro absolvitur de ratione & auctoritate in rebus Theologicis, altera uno similiiter libro de gratia primi hominis & Angelorum, tertia numerat quatuor libros de statu naturæ lapsæ, quarta tres de statu naturæ puræ: Tertius demum Tomus in duas dividitur partes, in quarum prima decem libri agunt de gratia Salvatoris, videturque pars hæc esse finis & scopus totius Operis; secunda continet unicum librum, qui parallelum erroris Massiliensem, & opinionis quorundam Recentiorum inscribitur. Hæc operis totius Oeconomia: cætera magnus in eo alienas opiniones vilipendentis, proprias multum extollentis animi fastus, & apertus Scholasticorum omnium contemptus elucet. Ad extrema deductus (fertur contracta lue a subditis suis, quibus ægrotis adstitit, correptus obiisse an. 1638. 6. Maii) ad extrema inquam deductus partum hunc suum sollicite commendavit suo in sacris Administro, ut ami-

amicissimo sibi Liberto Fromondo, Doctori Lovaniensi, traderet typis mandandum: Superos tamen hominesque testatus est, ut si quid unquam scripsisset Catholico dogmati adversum, pro suo non haberetur: *Sentio*, inquiebat Henrico Caleno Archidiacono Mechliniensi, difficulter aliquid mutari posse; si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiae, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Varie sentiunt de hac Jansenii declaratione, ejusque mente scriptores. Fortasse melius eam comprehenderem licebit e verbis quarundam familiarium epistolarum, quas Jansenius ad Vergerium exaravit: *Epistola 63*. Tantum, inquit, circa istud negotium incommodi ac periculi exponere mihi non potes, quantum ego vel ab initio subodoratus sum. *Epist. 131*. Se adduci non posse ait, ut credat opus suum a Judicibus (Romano Pontifice) approbandum unquam fore. *Epist. 16*. non audeo dicere, quid sentio de praedestinatione & gratia, ne forte antequam omnia parata & matura sint, mihi quod aliis accidat, Romae damner, sicut damnatus fuerat Bajus. *Epist. 63*. Daturum se operam dicit, ne se vivente liber suus in lucem prodeat, quo vitæ suæ

suæ tranquillitas posset turbari. *Epist. 21.*  
 se in suscepto opere continuo incumbere  
 profitetur, atque eo magis terreri, quo  
 plus progrederetur. *Epist. 13.* doctrinam  
 quam in S. Augustino referavit, omnibus  
 stuporem incusuram esse scribit. *In alia  
 epistola,* si contingat meam doctrinam  
 revelari, futurum est, ut tanquam deli-  
 rus & somniator insignis audiam. *Epist. 16.*  
 Augustinum degusto, fastidit Thomas.  
*Epist. 21.* rogar Sancyranum, ut sibi de  
 Potentum ac Nobiliorum, maxime Reli-  
 giosorum cætuum favore ac patrocinio  
 prospiciat, quia inquit *hoc necessarium  
 prævideo ad libri mei successum.*

## CXIX.

Vix lucem aspexit *Augustinus Jansenii*  
 duobus ab Auctoris morte annis, mox  
 sequente ad tenebras damnatus est ab  
 Urbano VIII. quoniam errores Bajii in-  
 staurare visus fuit. Excitavit fulmen hoc  
 Vaticanum magnas in Gallia & Belgio  
 contentiones, quibus per octoginta &  
 quinque Episcopos Galliæ ad Innocen-  
 tum X. delatis causa hæc magnis utrin-  
 que studiis Romæ integro biennio discussa  
 fuit. Venerunt illuc una ex parte a  
 quibusdam Galliæ Episcopis missi pro  
 tuendis quinque famosis propositionibus  
 e Jan-

e Jansenii libro extractis duo Theologiæ Doctores, & unus Licentiaæ gradu insignis, quibus postea duo alii accesserunt: ex altera vero tres Theologiæ Doctores ad promovendam & urgendam propositionum dictarum censuram alegati fuerunt. Innocentius vero ad causam discutiendam constituit Cardinales quidem Julium Roma S. Collegii Decanum, Bernardinum Spada, Martinum Ginnetum, Dominicum Sechinum, & in hujus paulo post defuncti locum Fabium Cighium, quibus subinde additus est Card. Pamphilus: Consultores vero tredecim designavit, Theologos e Religiosis Familias doctiores, scilicet duos Dominicanos, duos Augustinianos, duos Minores, duos Carmelitas Discalceatos, unum Capucinum: item duos Theatinos, unum e Servis Mariae, seu Servitam, alterum e Societate Iesu. Inter hos aliqui libro Jansenii favebant, duo nimirum Dominicani Vincentius Cadjidus Magister S. Palatii, & Vincentius de Pretis Commissarius S. Officii: unus Augustinianus Visconti Præpositus Generalis, unus e Minoribus Lucas Wading, Albizius vero Congregationis Secretarius est nominatus. Verum hunc, uti & P. Pallavicinum Jesuitam, tanquam sibi merito suspectos a Congregatione removeri im-

importune postularunt Jansenii defensores; quamvis incassum: pari enim ratione, respondebat illis Card. Spada, illi qui ex altera parte starent, recusare possent Dominicanos vel Franciscanos (z). Sub initium quidem Jansenii Patroni totis viribus institerunt ad obtainendas Congregationes seu Conventus publicos, in quibus causa hæc ultiro citroque ventilaretur, quemadmodum in celebri controversia de auxiliis gratiæ sub Clemente VIII. & Paulo V. factum esset. Sed respondere: Satis de rei summa constare tum ex ipso Jansenii volumine, tum e literis Episcoporum Gallicanorum, tum e tot libris & scriptis hac de re in utramque partem editis, atque de sola propositionum censura ut agatur, superesse: publicas autem illas congregaciones de Auxiliis institutas fructu caruisse, quum nihil de re ipsa decisum fuerit. Hac spe dejecti Janseniani aliam inivere viam, ut vel imminens fulmen alio deflecterent, vel saltē prolongarent judicium; atque per Oratorem Regis Christianissimi scriptum (Memoriale adpellant) Pontifici obtulerunt, quo declarabant in primis, se solummodo versatilem illam & libero arbitrio.

(z) *Vid. Tournelii Praelect. Theol. de Grat. Tom. I. Quest. 3. de Jansenio.*

arbitrio subditam in Molinæ sensu gratiam impugnare: dein nihil eorum, quæ in quinque Jansenii propositionibus continerentur, se defendere præter gratiam efficacem: demum nullam se de Jansenio curam gerere, neque libri ipsius defensionem in se suscipere. Ita satis callide illi; sed rursum frustra. Quippe quæstio haud erat de gratia sufficiente Moliniana, neque de gratia efficaci Thomistica, sed de efficaci in perverso sensu Jansenii, quem toto conatu tuebantur. Denique rebus omnibus rite discussis post celebratas duorum annorum spatio triginta sex Congregations an. 1653. ultima die Maii Innocentius X. Constitutionem edidit, cujus initium: *Cum occasione impressionis libri &c. in qua singulas quinque propositiones variis affectas censuræ notis condemnavit.* Sunt autem sequentes:

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus & connubibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiant.* Censura: *Temerariam, impiam, blasphemam, anathematice damnam, & hereticam declaramus, & uti tam*

*II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Censura: *ba-*  
*reti-*

*reticam declaramus, & uti talem damnamus.*

*III. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in hominibus libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Censura: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

*IV. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui possèt humana voluntas resistere, vel obtemperare. Censura: Falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

*V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudiisse. Censura: Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Heic enimvero omnem in partem instar colubri torquere se visi sunt Jansenii Asseditæ, quos vulgus modo Jansenistas appellat. Ac primo quidem, quam palam huic iudicio Sedis Apostolicæ necedum auderent contradicere, negarunt, has propositiones contineri in Augustino Jansenii: paullo post, ubi positis ante oculos Jansenii verbis palam id demonstratum

tum ipsis fuerat, asserebant secundo eas sensu a mente Auctoris propositus alieno proscriptas fuisse, atque in eo sensu, in quo damnatae sunt, a Jansenio esse defensas negarunt. Verum & hoc effugium sustulit Innocentii successor Alexander VII. edita an. 1656. 16. Octobr. Bulla, quæ inter alia sic loquitur: *Cum sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones vel in libro prædicto non reperiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asservare non reformidant, nos qui omnia sufficienter & attente perspeximus, quinque illas propositiones ex libro præmemorati Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Corn. Jans. intento damnatas fuisse definitus & declaramus, ac uti tales iterum damnamus.* Non minus idem Pontifex ut alias præcluderet Jansenianis evadendi vias, edidit postmodum formulam jura menti, ab omnibus in Gallia quibuscumque Ecclesiasticis præstandi in hæc verba: *Constitutioni Apostolicae Innocentii X & Alexandri VII. me subjicio, & quinque propositiones ex Jansenii libro excerptas in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas Sedes Apostolica per prædictas Constitutiones damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro &c.* Post hæc

tertio quum Janseniani prætenderent, triplicem sensum propositionum illarum esse posse, nec satis constare, qualis damnatus sit, qualisve fuerit inter tres illos Jansenii, Innocentius XII. an. 1694. 6. Febr. dato in lucem Decreto vetuit dicere, alium sensum a Jansenio intentum, aut a Pontificibus damnatum esse, quam obvium: Sensus vero obvius, ait Decretum, est ille, quem verba cuique statim offerunt in ea significatione, quam ex institutione habent, quiique quasi prædominans est, ac statim se legentibus ingredit. Sic equidem causa finita est, ut loquitur Clemens XI in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, non tamen sicut par erat, finitus et error Apostolico toties mucrone percussus. Quippe *quario* afferere ausi sunt Janseniani, juramentum illud præstari quidem posse, non tamen necessarium esse, ut animus verbis conformetur, & interius ita quis sentiat, uti enuntiat exterius, sed satis esse respectuosum & obsequiosum silentium tenere, ne publice contradicatur illi, quod Ecclesia decidit. Sed hæc doctrina tanquam omnisi perjurii ac perfidiæ asylum, qua vulgata exhorruit Ecclesia, illico damnata fuit a memorato Clemente XI. in citata Bulla *Vineam Domini Sabaoth* an. 1705.

16. Jul.

16. Jul. promulgata, in qua Antecessorum suorum hac de re Constitutiones adprobat, confirmat, & innovat, simulque declarat: *Obedientiae, quæ prædictis Apostolicis Constitutionibus dehetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præferunt, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate superadictæ Formulæ subscribi licite posse.* Verum hujus quoque fulminis ictum ut a capite suo averterent Janseniani, confugerunt denique quinto ad subtilem admodum distinctionem inter quæstionem juris & facti: quæstionem juris in prælenti casu esse posse, an aliqua dei præcepta hominibus justis &c. sint observatu impossibilia, uti afferit prima propositio damnata: an interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur, ut docet seunda &c. Quæstionem vero facti esse, an quinque illas propositiones eo in sensu, in quo damnatae sunt, defenderit, & an in sensu, in quo Jansenius defendit, sint damnatae. Hac distinctione frati asserebant: quidquid demum sit de quæstionibus juris, saltem in quæstionibus

bus facti Pontificem ut quemvis alium hominem aut doctorem errori obnoxium esse, ac neutquam *infallibilitatis* dono praeditum. Verum quam inane sit effugium istud, a causae desperatae defensoribus inventum, ut alia taceam, facile patet cuivis vel obiter consideranti, si errandi periculo obnoxia foret Ecclesia vel Pontifex in decidendis facti dogmatici quæstionibus circa sensum librorum aut propositionum quarundam ad religionis doctrinam pertinentium, nullus esset hæreticus, qui aperte convinci & hæresis damnari posset: Semper enim scuto isthac se ac prava dogmata sua tueri posset asserens, alienum esse sensum, longeque a mente sua remotum, quam Ecclesia vel Pontifex illis affinxit, dum proscripsit. Quis enim est, qui propriam adlegat turpidinem? Sic igitur oppressa videri poterat seditiosa Jansenii factio, nisi novum ducem & caput nacta fuisset Paschasilum Quesnellum natum Parisiis an. 1634. Oratorii Gallicani a Cardinale Berullo instituti Presbyterum, qui libro quodam Considerationum moralium in Novum Testamentum gallico idiomate in lucem edito prava dogmata instauravit, & novos in ausus Jansenianam sectam erexit. Liber hic

hic eo majorem animarum stragem Ecclesiae intulit, quo venenum occultius & sub splendida pietatis imagine latens in intima fidelium, etiam Religionis vinculo constrictorum, præcipue sacrarum Deo virginum in cœnobiis viscera penetravit. Quare Clemens XI. piis ac sapientibus repetitis tum Ludovici XIV. Galliarum Regis, tum majoris longe ac sanioris Cleri Gallicani & Antistitutum partis precibus ac votis adductus novam an. 1713.

8. Septembr. Constitutionem universæ Ecclesiæ proposuit, cuius exordium: *Unigenitus Dei Filius.* quaque centum & unam propositiones e libro Quesnelli de promtas debita censura notavit, scilicet omnes & singulas tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciovas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiones, impias, blasphemias, suspectas de heresi, ac heresin ipsam sapientes, nec non hereticis, & heresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, heresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hereticas, variasque hereses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem eo sensu, in quo

*hæ damnata fuerunt, acceptis continetur, manifeste innovantes.* Bullam hanc tota Christi Ecclesia ea, qua par est, veneratione exceptit, paucos novatores si excipias, qui non solum illam perverse interpretari ac errorum gravium insimulare, verum etiam ad Concilium Generale provocare ausi sunt, quorum impietatem ac seditionem egregie sustentabat Quesnellus tum in Belgio, ubi aliquamdiu delituit, tum Amstelodami, quo se receperat, donec an. 1719. senio æque ac pertinacia gravis vivendi nocendique finem fecit, pacem tamen turbatam nesciunt Ecclesiæ morte sua restituit. Benignorem nonnihil Antecessore suo Clemente XI. præbuit se Benedictus XIV. in Epistola Encyclica ad Episcopos Galliæ an. 1756. 16. Octob. data, Ecclesiasticæ tranquillitatis restituendas studio inductus. Sed zelo huic fructus ex æquo respondisse visus haud est. Quippe paullo post declaratum fuit in publico, quod Galli vocant, Justitiæ tribunali, *Bullam Unigenitus* haudquam fidei Regulam esse (qualis tamen conceptis verbis vocatur a Benedicto XIII. in Concilio Romano Lateranensi Tit. 1. cap. 2.) sancte nihilominus observandam tanquam *Regni Legem*, qualis esse jam nunc decernere.

neretur. Modicam tamen temporis intercessit, quum Sorbonæ perpetuum circa Bullam hanc silentium fuit impositum. Verum Sorbona dignitatis officiique sui probe memor tanto tamquam sacro Collegio dignum responsum dedit: si lere se haudquam posse de memorata Clementis Bulla, utpote quam tanquam Constitutio in re Dogmatica pridem a se, quin ab universa Ecclesia suisset recepta.

§. VII.

*Controversia circa Pontificum infallibilitatem in fidei negotio.*

CXX.

Priore & hoc seculo, ubi Criticæ studium invaluit, a quibusdam partim Hæreticis, partim Catholicis ipsi quoque Pontifices ad illius tribunal, & in ius vocati sunt, atque in rebus fidei errorum insimulati, diversa tamen ratione; nimirum ab Hæreticis, ut Pontificum auctoritatem & infallibilitatem in fidei negotio subruerent, a Catholicis vero, ut eos a privato circa res fidei errore immunes haud esse contenderent. Præ reliquis famosa est contentio D. Petri cum Paullo Apostolo, & lapsus Marcellini Papæ.

Ad primum quod spectat, criminacionis argumentum promunt ex epistola Paulli ad Galatas (a): *Cum venisset*, inquit Paulus, *Cephas Antiochiam*, *in faciem ei reffiti*, *quia reprehensibilis erat*. Prius enim, quam venirent Judæorum quidam a Jacobo missi, cum gentibus edebat; quum autem hi venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumci-  
sione erant. *Et simulationi ejus consen-  
serunt cæteri Judæi*, ita ut & Barna-  
bas duceretur in eam simulationem. Quod  
quum intellexisset Paullus videns, *quod non recte ambularent ad veritatem Evan-  
gelii*, *dixi Cephae coram omnibus*. *Si tu,  
cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non  
judaice, quonodo gentes cogis judaizare?*  
Hæc sunt verba Paulli, quæ ut rite in-  
telligentur, nosse oportet, magnam Ju-  
dæos inter & Gentiles recens Christi ec-  
clesiæ aggregatos emulationem exarisse,  
Judæis quos magnum Abrahæ nomen ad-  
huc inflatos tenebat, Gentiles contem-  
nentibus, & legem Mosis non abroga-  
tam, sed necessariam esse ad salutem con-  
tentibus: Gentilibus vero, qui æge-  
rime ferebant se contemni, Judæorum  
gloriam in Christo fuisse sepultam, le-  
gemque Mosaicam malam & a malo or-  
tam

tam principio respondentibus. Pugnæ hujus ardorem, ne limites Christianæ veritatis, charitatisque transgrederebatur, ut temporarent Apostoli, Concilium illud Hierosolymis convocarunt, ejus alibi mentionem feci, atque in eo, ut parti utrique aliquid concederent, statuerunt quidem, grave nimis jugum legis Mosaicæ Gentilibus ad Christi ecclesiam accendentibus imponi non debere: a sanguine tamen & suffocato, ut Moses præcepit, iis esse abstinentendum. Acquievere tum omnes Apostolicæ sententiæ, hisque finita videri poterat. Sed aliquanto post quum Petrus venisset Antiochiam lustrandi novi gregis caussa, ut suo roboraret exemplo, quæ definierat Concilium, gentium more aliquamdiu vivere cœpit: mox tamen ubi Judæorum nonnulli Hierosolymis a Jacobo missi venissent, clypeum mutavit, & relictis Gentilibus Judæorum mores est æmulatus, cibum discernens a cibo, & legis Mosaicæ ceremonias religiose observans. Pastoris exemplum secutæ sunt oves, non solum Judæi, sed & Gentiles, judaicos ritus postliminio revocantes, quibus socium se quoque junxit Barnabas. Verum res hæc Paulum summopere offendit, vehementer timentem, ne quam hæresin seu schisma

Petri sententia in Concilio Hierosolymitanō jam jam extinxit, exemplum ipsius denuo resuscitaret. Quamobrem palam illi se se opposuit, nec ulla dignitatis habita ratione coram omnibus eum reprehendit. Hæc rei actæ series, hoc discordiæ pomum Petrum inter & Paulum; immo & inter præcipuos Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, quos difficillimæ hujus controversiæ explicatio per quatuordecim annos vix non in civile bellum præcipites egit, dum prior ut excusaret utrumque, non veram iater eos discordiam, sed discordiæ solum simulationem intercessisse contuleret; posterior vero Hieronymum accusaret, quod hac expositione sua in Sacram Scripturam mendacium invehere videretur. Hinc (b) sic eum alloquitur: *Arripe, obsecro te, ingenuam, & vere christianam cum charitate severitatem: Palinodiam, ut dicitur, cane.* Incomparabiliter enim pulchrior est veritas, quam Helena Grecorum. Cui tamen aculeo alium opposuit Hieronymus (c) ita scribens: *Neque que putas magistrum esse mendacii, qui sequor Christum dicentem: Ego sum Via, Veritas, & Vita: neque fieri potest, ut veritatis cultor mendacio colla submittat.*

Aliis

(b) Epist. 9.

(c) Epist. XI.

Aliis longe oculis, nimirum livore plenis, rem hanc aspexere heterodoxi quidam, inter quos præcipuum Magdeburgenses locum obtinent, detorquere volentes hoc Petri Paullique factum ad scandali & hæresis invidiam: quin & Nilus veritatis alveum egressus in suo, quem de primatu Romani Pontificis scripsit, libro Petrum errasse in fide contendit, & ex hoc Petri errore invictum, ut sibi quidem videtur, argumentum cudit adversus falli nesciam Romanorum Pontificum potestatem. *Nam si Petrus errare potuit, quis inquit adeo bonus sit, ut credat Successores Petri errare non posse.* Verum his respondeo cum Tertulliano hac ipsa in causa: *Mibi non tam bene est, immo non tam male est, ut Apostolos committam.* Quis est, qui ignoret, etiam Viros sanctitate conspicuos non raro bellum utrinque instum exercere, ita ut quod unus prudenter facit, reprehendatur prudenter ab altero? Hoc sane vel maxime locum habere videtur in præsenti negotio. Judæi enim in lege nova Christi recens enutriti non tam cito a lege veteri Mosaica ablactari se patiebantur, quam Sanctam & a Deo ipso inter tonitrua & fulgura in monte Sinai Mosi traditam esse sciebant. unde sparsa in vul-

gus

gus opinio, ac si lex hæc tanquam mala repudiaretur, scandalum ipsis erat: dein gentis suæ contemptum interpretabantur, Gentilibus se suamque gentem postponi, a Deo electam, & tot olim beneficiis ac prodigiis honoratam. Videntis itaque Petrus ac probe perspiciens, periculosa modum emulationem hanc inter Gentiles & Judæos excitatam, prudenter timere potuit, ne si ultra Gentilium partibus pertinaciter adhæreret, contemni se crederent Judæi: satius ergo duxit, si ad tempus Gentiles, prioris adhuc conversationis probe memores, & quibus non ita metuebat, relinquaret accederetque Judæis, ne forte irritati perpetuo a fide deficerent; minorique cum damno Ecclesiæ fieri posse existimavit, si lex Mosaica aliquamdiu necessaria, quam si mala esse crederetur. Hinc Magistri sui exemplo convertit se potius *ad oves, quæ perierunt, Domus Israel.* Sed fortassis dum Petri factum excuso, vel ab errore absolvo, Paullo reprehendentis zelum damnare videbor. Neutquam: neque enim Porphyrio philosopho versipelli ac apostatae consentior, qui teste Hieronymo blasphemare ausus est, exarsisse Paullum in invictiam virtutum Petri, & obtructandi stimulo agitatum eo devenisse

se ut Petrum reprehenderet. Neque Paullo defuerunt rationes, cur id faceret. In recenti adhuc memoria & velut ante oculos obversabatur illi Concilium Hierosolymitanum, in quo legis Mosaicæ jugum Gentilibus imponi non debere definitum fuit. Ne igitur Gentiles Petri exemplo potentissimo seducti sibi persuaderent, se lege Mosaicæ teneri, contra quam sanctum erat, necesse judicavit, Petro in faciem resistere, ut scilicet, quod Chrysostomus dixit (d): *Objurgato & obtusante Magistro facilius discipuli sententiam mutarent, ac judaizare dedicerent.* Præterea quum in memorato Conilio Gentiles quidem ad fidem conversos legis onere non gravari debere præcipetur, nulla mentione facta de Judæis, ne offenderentur paternarum traditionum æmulatores tenacissimi, Paullus præclarum modo nactum se occasionem arbitrabatur, palam faciendi, neque illos neque hos legis antiquatæ jugo subjici opertere. Hinc publice Petrum reprehendit, non tam quod Judæis accederet ipse Judæus, sed ne tam Judæi exemplo ipsius in sua opinione firmarentur, quam Gentiles perperam in eam inducerentur. Quare bono uterque zelo flagrasse censem.  
dus

(d) *In cap. 2. ad Gal.*

dus est, Petrus judaizando, & Paullus reprehendendo, tantumque abest, Petrum errorem in fide commisso, ut si etiam offendisset ad lapidem hæc petra, potius cum Tertulliano (e) dicendum sit: *Quare si quod ejus vitium fuit, conversationis vitium fuit, non prædicationis.* Certe Petrum Mosaicæ legis ceremonias seculantem insimulare commissi in fide erroris non bene potuit Paullus, utpote qui Timotheum ex matre christiana & patre Gentili natum circumcidit, eo consilio, ut teste Chrysostomo gravior Juðæis Magister & Doctor circumcisus accederet. Nūnquid enim cum Hieronymo (f) alloqui Petrus Paullum potuissest: *O Apostole Paulle! qui in me reprehenderas simulationem, qua segregabam me a gentibus propter metum Iudæorum, qui a Iacobo venerant; cur Timotheum filium hominis gentilis, utique & ipsum gentilem contra sententiam tuam circumcidisti coegisti?*

Certius vestigium erroris in fide inventisse se existimant heterodoxi: Catholici vero nonnulli fallibilitatis Pontificiæ in Marcellino Papa, quem quarto ineunte seculo, seu anno Christi circiter CCCII. dum Diocletianus Ecclesiam persecutus est,

(e) *Lib. de Prescript.* (f) *Epist. ix.*

est, thura idolis adolevisse in templo Isi-  
dis & Vestæ referant. Rei gestæ seriem  
his fere verbis producunt Acta Concilii  
Sinueffani: „ Concilium Sinueffanum a  
„ Clero Romano in causa de lapsu Mar-  
„ cellini convocatum. Cum enim de  
„ lapsu accusaretur Romanus Pontifex  
„ Marcellinus, nimirum quod Diocletia-  
„ ni sœiente persecutione omnium ma-  
„ xima ad gentium sacrificia ductus, ibi  
„ que minis perterritus Deos adorasset  
„ alienos, in templo seilicet Isidis &  
„ Vestæ, gentium idolis sacrificando &  
„ thrurificando, ad convocatorias Cleri  
„ Romani literas convenerunt diversa-  
rum provinciarum Episcopi trecenti  
„ in civitatem regni Neapolitani, no-  
„ mine Sinueffam, de hoc prætenso  
„ Marcellini Romani Pontificis lapsu sen-  
„ tentiam dicturi: ubi in crypta Cleo-  
„ patrensi post causam mature discussam,  
„ & post nonnullos alias Presbyteros  
„ damnatos Marcellinus ipse sacco indu-  
„ tus, conspersus cinere, humili postra-  
„ tus pœnitentiam agens publice suum  
„ fatetur lapsum, pœnamque sibi impo-  
„ ri rogat. Quumque e tot Concilii Pa-  
„ tribus sententiam in eum ferre aude-  
„ ret nullus, & dicerent omnes: Prima  
„ sedes a nemise judicatur: tu te Ip-  
„ sum

„ sum judica; se ipsum re ipsa judica-  
„ vit & condemnavit: tum suum con-  
„ fessus lapsum dixit: peccavi coram  
„ vobis, & non possum esse in ordine  
„ Sacerdotum. Qua cum audisset Dio-  
„ cletianus, iratus multos jussit ex Con-  
„ cilii Patribus ad Martyrium trahi, quos  
„ inter fuit & ipse Marcellinus,. Hanc  
ipsam de lapsu & damnatione Marcellini  
historiam exhibit Nicolaus I. Pontifex,  
qui anno 858. ad Petri sedem electus  
est, in epistola ad Michaelem Imperato-  
rem, ut probet, non posse quemquam  
ab his, qui dignitate sunt inferiores, ju-  
dicari: *Tempore Diocletiani*, ait, &  
*Maximiniani Augustorum Marcellinus*  
*Episcopus urbis Romæ*, qui postea insignis  
martyr effectus est, adeo compulsus est a  
Paganis, ut in templum eorum ingressus  
grana thuris supra prunas poneret, cuius  
rei gratia collectio numerosorum Concilio  
Episcoporum, & inquisitione facta hoc  
se idem Pontifex fecisse confessus est. Nul-  
lus tamen eorum in eum sententiam pro-  
ferre ausus &c. Idem factum recentient  
Pontificale Damasi, Anastasius Biblioth-  
carius, Cardinales Petrus Damiani, Ca-  
sar Baronius, & Robertus Bellarminus,  
ut nihil dicam de Breviario Romano, ut  
vocant, quod ad diem 26. Aprilis Le-

stione 5. eandem historiam refert, atque huic, ut cum Baronio loquar (g), tot monumentis testatæ, tabulis Ecclesiasticis signatae, plurimorumque testimoniis confirmatae, torque testibus obniti temerarium esse existimari posset. Verum non desunt hodie auctores gravissimi, qui causam hanc ad sanæ Criticæ tribunal postliminio revocantes historiam totam inter fabulas recensendam esse judicant, & Marcellinum a lapsu ac criminе invitatis etiam Actoribus absolvunt. Nam imprimis Concilii Sinuessiani Acta, quin & ipsam Synodus multa sunt, quæ merito suspectam reddunt, si non omnino fictitiam esse demonstrant. Quomodo enim sœviente Diocletiani persecutione omnium crudelissima trecentorum Episcoporum cogi potuisset conventus, paullo minor illo, qui in maxima Ecclesiæ pace totis viribus adnitente Constantino Imperatore Nicææ in Bythinia fuit postea congregatus? Incerta etiam & admodum dubia apud Scriptores sive sacros sive profanos Sinuessianæ civitatis & Cleopatrensis cryptæ, in qua celebratum dicitur Concilium, occurrit memoria. Quod autem Marcellinus in istius Concilii actis affera-

(g) *Tom. 2. Annal. de annis Christi.* 302.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XII. Aaa

asseratur suisse introductus a Diocletiano in templum Vestæ ac Isidis, ibique Herculi, Jovi & Saturno sacrificasse, hoc profecto verosimile non est, quum cuique Numini proprio in templo nuncupata suisse vota, & oblata sacrificia doceant cuncta antiquitatis monumenta. Præterea fertur Marcellini condemnatio ad Diocletianum esse perlata, bello cum Persis tunc detentum, quum tamen constet, Imperatorem hunc eo ipso anno, Imperii sui vigesimo, eodem sc̄e abdicasse, atque ante biennium de profligatis Persis cum Maximiano Collega suo Romæ triumphum egisse. Porro in iisdem etiam actis memorantur ad templum idolorum accessisse Christiani, sacrilegi sacrificii testes futuri, quum e Tertulliani libro de spectaculis liqueat, Christianis neutiquam usitatum, immo nefas suisse, sacrificia falsis Numinibus exhibita coram spectare. Denique vix quidquam eorum, quæ in illis actis recensentur, veritati cohærere videtur: insuetus tunc erat septuaginta duorum testimoniū numerus, quum & tunc in ore duorum aut trium steterit omne verbum: extra morem positus purpuræ usus, qui nondum in Ecclesiam illa ætate injectus erat: Marcellino tamen ab Actis tribuitur: quo die exuisti purpuram,

& induisti coccum &c. Episcoporum quoque omnium nomina in iisdem actis silentio involvuntur, quod & a perpetuo Synodorum more & stilo alienum est. Hæc aliaque sane argumento esse possunt, Concilii Sinuessiani Acta figmento esse propiora, quam historiæ. Neque majorem res hæc fidem accipit ab epistola Nicolai Papæ, quem bona fide populari opinioni, nec satis firmæ aliquid tribuisse malo, ut Sedis suæ auctoritatem coram Michaeli Imperatore tueretur, quam Marcellinum horrendi idolatriæ sceleris reum egisse. Quid de Pontificum epistolis hujuscemodi, quæ nec articulum fidei, nec dogma Ecclesiæ, sed privatam duntaxat narrationem in se continent, sentiendum sit, Card. Baronius (h) his verbis prodit: *Auctoritatem illarum Epistolarum usque ad Sacerdicium Papam baud adeo constantem esse, sed nutare admodum.* Verum obstat Breviarii Romani auctoritas? respondeo, hanc tantam non esse, ut sufficiat fidei indubitatæ actis Sinuessianis afferendæ, quum similiter aut etiam diutius tolerata in eo S. Sylvestri acta, aliorumque nonnullorum nunc sine piaculo examinentur, & fide non satis digna judicentur: neque Ecclesia unquam fidem suam interposuit,



aut onus in se suscepit standi pro veritate illorum omnium, quæ in historiis Sanctorum, aut vitis Martyrum ibidem narrantur. Certe permittit Ecclesia, quæstionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum afferit ad diem 9. Octobris) cum Areopagita, an vero diversus ab isto. Permittit in examen vocari, num missus fuerit S. Clemens in Galliam seculo primo, vel potius tempore Decii seculo tertio. Permittit etiam (ut plura alia missa faciam) contra S. Jacobi in Hispaniam adventum ad 26. Julii a se adfertum, rationibus in utramque partem pugnari. Scriptoribus aliis Scriptores oppono, æquali vel majori fide dignos. Imprimis S. Augustinus, qui totam hanc thuris a Marcellino idolis oblati historiam tanquam commentum Donatistarum, quodlibet subdole ad criminandos Romanos Pontifices fingentium, e veritatis finibus proscribit libro de unic. Baptis. aduersus Petilianum Donatistarum Episcopum (h). *Quid jam opus est inquit ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis infectatus est, objecta ab eo crimina diluamus?* Marcellinus & Presbyteri ejus, Melchandes & Mar-

(h) e. 18.

vellus, & Sylvester traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo criminis arguuntur: sed nunquid ideo convincuntur? aut convicti aliqua tormentorum firmitate demonstrantur? ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. *Quid laborem probare defensionem meam, quum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam.* Atque haec scripsit præstantissimus Ecclesiæ Doctor seculo duntaxat uno post synodum sinuessianam trecentorum, si superis placet, Episcoporum. Ignoravitne igitur Augustinus tantæ auctoritatis Concilium, aut forte contempsit? Cur autem Donatistæ accusationis probationem rogati (integerrimum enim Pontificem sacros Codices gentilibus tradidisse sunt criminati) non adduxerunt Concilii auctoritatem? Respondet Christianus Lopus in notitia Conciliorum versatissimus (i) fabulosam de Concilio Sinuessoano historiam postea primum fuisse convictam, nempe a pseudo-Isidoro, cuius merces adulterinas illi non viderunt, atque ideo nulla unquam ipsis fuit de Marcelini lapsu vel suspicio ex Actis Concilii Sinuessani tunc colligenda. Augustino ad.

(i) *Tom. 5. Synod. p. 228. & seq.*

## 730 Cap. VIII. Theologia

addere liceat Eminentissimum purpura & scientia Cardinalem Bellarminum, qui suam hac in re sententiam, quam tomo primo (k) tradidit, postmodum (l) his verbis correxisse viderur: *Concessimus S. Marcellinum idolis sacrificasse, sed non videtur id esse omnino certum.* Suffragatur Bellarmino, quem defendendum suscepit (m) eruditissimus Gretserus ita scribens: *Marcellinum sacrificasse idolis communis & trita est hæreticorum objectio...* At si quis neget id unquam factum, deerit hæreticis, quo probent, non deerit insciantibus, quo suam opinionem stabiliant. Apertius, & magis animose loquitur de hoc negotio Daniel Papebrochius in Pro pyleo ad acta Sanctorum mensis Maji (n): *Hæc autem, inquit de lapsu Marcellini & Actis Concilii Sinuessani, narrantur cum circumstantiis & formulis tam peregrinis, ne dicam, fatuis, ut nequeam animo comprehendere, qua ratione potuerint ista acta in compilationibus Conciliorum absque debita censura tolerari.* Subscribunt quoque mitiori huic sententiæ, ac Marcellinum a lapsu absolvunt Theophilus Raynaudus, Tillemontius, Natalis Alex-

xan-

(k) e. 8. de Sum. Pont. n. 25. (l) recogn. 30. ad Tom. I. (m) Tom. 9. l. 4. e. 8. (n) Dissert. 7. n. 7.

xander, & uterque Pagius. Verum esto, concedamus aliquid adversæ partis auctoritati sane gravi, quod neutquam inficias eo: admittamus factum quod factum esse non credimus, quid inde contra Pontificis falli nesciam potestatem hæretici, aut male feriati Critici demum eruent? Lapsum est Marcellinus urgente gravissimo mortis metu, thus adolevit idolis: ergo Pontifex e Cathedra, ut dicimus, loquens, ac supremi Pastoris & Christi in terris Vicarii munere fungens, quando universæ Ecclesiæ fidei dogma credendum proponit, errorem in fide committere potest, quis est, qui non videat, quam male concludat argumentum?

§. VIII.

*Controversia circa Immaculatam  
Deiparae Conceptionem.*

CXXI.

Hucusque controversias exposui, quæ Patribus & Theologis intercessione cum diversis diversorum temporum sectis, & erroribus fidei Catholicæ dogmata infestantibus. Sequuntur nunc illæ, quæ salva fidei unione inter ipsos Doctores Catholicos exortæ fuerunt, e quibus celebrio-

lebriores solum in medium producam. Primum facile locum obtinet controversia circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem. Origo illius hæc erat: Piam opinionem de Immaculata & labis *originalis* experte Beatissimæ Virginis Conceptione jam ab ipso Apostolorum tempore inter Fideles communissimam fuisse satis demonstrat Liturgia D. Jacobi Apostoli, qui Frater Domini adpellatur, primi Hierosolymorum Episcopi circa an. Chr. 60. quam exhibet Bibliotheca Maxima Patrum (o). Hæc ita loquitur: *Commemorantes Sanctissimam, Immaculatam, Gloriosissimam Dominam nostram, Matrem Dei & semper Virginem Mariam.* Rursus: *Commemorationem agamus sanctissimam, Immaculatæ, Gloriosissimæ, Benedictæ Dominiæ nostræ.* Et iterum: *Dignum est, ut te vere Beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus modis Irreprehensam seu Immaculatam, & Matrem Dei nostri honorabiliorem quam Seraphim &c.* Atque Apostolicam hanc D. Jacobi Liturgiam constanter imitatæ sunt in hujuscemodi *Sanctissimæ & Immaculatæ Dei genitricis Commemorationibus reliquæ Orientalis Ecclesiæ Liturgiæ, quemadmodum de celeberrimis SS. Basilii & Chrysostomi testatur Proclus Episcopus Constantinopolita-*

nus. Non equidem me latet, præfatam S. Jacobi Liturgiam editam nunc græco nunc Latino idiomate, nunc utroque, ab hæreticis velut prolem supposititiam repudiari, utpote aliis suis erroribus, maxime circa missæ Sacrificium & implorationem Sanctorum, contradicentem: quin etiam inter Catholicos scriptores esse quosdam, licet paucissimos, inter quos Natalis Alexander, (p) qui eam tanquam apocrypham rejiciunt. Egregie tamen illam vindicant Leo Alleatus græcæ eruditionis scientissimus (q), Card. Bona in rebus Liturgicis adprime versatus (r), & novissime Honoratus a S. Maria, Carmelita Discalceatus, in suo moderamine intemperantis criseos (s) ubi ait: *Inter viros doctissimos receptum esse debere, Liturgiam Jacobo attributam in more fuisse primorum seculorum.* Præterea piæ opinionis hujus antiquitati suffragatur Typicum S. Sabæ (seu ordo recitandi Officium per totum anni tempus) quod a Guilielmo Cupero S. J. celebri Historiographo profertur in Actis Sanctorum (t). In hoc Typico die

IX.

(p) *Tom. 3. Hist. Eccles. Secul. I. c. 12.* (q) *Epist. I. ad Barthol. Nibusium.* (r) *L. I. de reb. Liturg. c. 8.* (s) *Tom. 3. Observ. l. 5. dissert. 3.* (t) *Tom. 6. Juli in Comment. ad vitam S. Anne. num. 46.*

IX. Decembris in ordine Festorum signatur *Conceptio S. Annæ Matris Deiparae*, quo nomine Græci intelligunt conceptiōnem *activam* S. Annæ, & *passivam* Mariæ Virginis; ut adeo Festum Conceptiōnis B. V. jam seculo V. (claruit enim S. Sabas circa an. 484.) a Græcis celebratum fuisse videri possit. Non minus seculo VII. S. Andreas Cretensis Episcopus, qui circa an. 636. vixit, Canones & Trinodia composuit, Ecclesiasticis Græcorum Officiis servitura. Primus istorum Canonum novem Odis conspicuus hunc titulum præfert: *Die IX. Decembris. Conceptio Sanctæ ac Christi Aviæ, Annæ.* Conceptio videlicet *activa*, ut dictum est S. Annæ, qua B. V. Maria est concepta, uti initio hujes Canonis exponitur his verbis: *Tuam bodie Religiosa Anna celebramus Conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis eam utero conceperis, qua eum potuit capere, qui nusquam capi possit.* In hoc Canone multa reluent, quæ sanctam & Immaculatam Dei Genetricis conceptionem manifeste produnt. Ode I. *Puram sive Immaculatam bodie Anna gloriosa concepit.* Ode III. *Concepit puram seu Illibatam Dei Genetricem.* Et in eadem Ode Tom. IV. *Chorus olim Propheeticus eam prædicavit, quam Anna sterilis*

*infæcundaque Intemeratam, Puramque, ac  
Dei filiam concepit. Hanc bodie ceu solam  
ex omni parte Immaculatam, omnes nos  
per eam salutem consequuti, cordis exultatione  
Beatam dicamus.*

Ecclesiam Graecam in cultu Immaculatae Conceptionis splendidius, licet non nihil serius secuta est Latina celebrando Festum Conceptionis: pia enim opinio a primis jam temporibus in hæc quoque Ecclesia communis erat. Prima Officii forma, quam observare cœpit, fuit illa, quæ Helsino seu Elphino, Abbatii Monasterii Ramesiensis, cœlitus præscripta fuit. Rem ita narrat S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, qui vixit circa an. 1081. in epistola, quam scripsit ad Coepiscopos suos, & omnes B. V. mysteria recolentes, ut videre est in Parte prima Operum S. Anselmi, Lugduni editorum. Narrat inquam sanctus hic, memorato Abbatii, dum e Dania in Angliam rediret, in mari cum sociis periclitanti adparuisse Virmum Pontificali Insula decoratum, (hunc antiqua exemplaria dicunt fuisse S. Nicolaum) qui a Dei Genitrice ad opem ipsi ferendam se missum esse asseruit, si Deo & sibi promitteret, quod diem Conceptionis ejusdem Dei Genitricis deinceps solemniter celebraturus & celebrandum

præ-

prædicatus esset sexta Idus Decembris, quod quum voti religione spopondisset Helsinus, anxius tamen hæreret, quoniam Officio quoque ritu uti deberet, reposuit Vir ille conceptis his verbis: *Omne Officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, excepto quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis.* Hucusque quidem Anselmi epistola, cui tamen fidem derogat Gerberon Benedictinus, & post ipsum Alexander Natalis Dominicanus; sed integrum ei restituit Benedictus Piazza S. J. in præclaro eruditissimoque Opere, cui titulus *Causa Immaculæ Conceptionis*, Panormi an. 1747. edito. Quapropter merito dici potest, Conceptionis Immaculatæ solemnitatis ritum & rationem in Anglia (ipsa enim solemnitas festiva jam antea ibidem invaluit, uti colligitur e Martyrologio V. Bedæ, qui vixit circa annum 700. in quo ad diem 8. Decembris notatur: *Conceptio S. Mariae perpetuae Virginis*) ritum inquam & rationem in Anglia ortum habuisse, e qua postmodum in Normandiam, Galliam, Navarram, Belgum & Germaniam aliasque mundi occidentalis plagas propagatus fuit. Quippe Officium, quod his in Ecclesiis recitabatur, erat illud ipsum quod Abbatii Helsingio

sino cœlitus fuerat præscriptum. Ipse D. Bernardus in epistola sua (si tamen ipsius est) rei hujus mentionem fecisse videtur, dum ait, *Lugdunenses scripto supernæ revelationis permotos fuisse ad celebrandum publice Conceptionis festum.*

Ex his aliisque satis constat piam opinionem de Immaculata Conceptione primis jam Ecclesiæ temporibus insedisse fidelium animis, quin & in utraque Ecclesia Græca & Latina festivæ lucis & Officii divini honore dudum decoratam fuisse, atque ad usque duodecimum fere seculum in pacifica, ut ita dicam, possessione substitisse. Primæ autem controversiæ ansam dedisse videntur circa annum 1136. Canonici Lugdunenses in Gallia, dum solemni ritu hoc festum celebrare cœperunt. quippe re hac cognita D. Bernardus gravem ad eos epistolam (ordine centesimam septuagesimam quartam) dedisse, eosque ob novum hunc in ea Ecclesia cultum reprehendisse fertur. Verum Joannes Perlinus S. J. (n) epipolam illam ad Lugdunenses non a S. Bernardo, sed a Nicolao quodam ejus olim familiari, postea vero, ipsi offenso, confictam fuisse contendit. & vero, quomodo

(n) In *Apolog. Scholast. de Concept. Ftrg. dif. 12. tate capite 5.*

modo ignota esse potuit Viro tam eruditio quam sancto utriusque Ecclesiae tum Græcæ tum Latinæ consuetudo? Si autem hæc nota erat, cur reprehenderet fieri in Ecclesia Lugdunensi, quod in tot aliis fieri non ignorabat? Eminentissimus autem Sfondrati (x) solidissimis rationibus epistolam, de qua loquor, ab omni sinistra opinione vel sensu contrario purgat, aitque evidenter ostendi ex hac ipsa epistola Bernardi de Immaculato conceptu B. V. sententiam. Card. Baronius vero (y) ex epilogo memoratae epistolæ colligit mentem & finem, quem sibi S. Doctor in ea scribenda præfixit, nimirum ut Canonicos illos induceret ad consulendam prius Ecclesiam Romanam, antequam novum in suam Ecclesiam festum introducerent. claudit enim epistolam his verbis: *Quæ autem dixi, Romanæ Ecclesiae auctoritati & examini totum hoc reservo: ipsius si quid aliter sapio, judicio paratus emendare.* Quidquid autem sit de mente D. Bernardi, certum est, Canonicos Lugdunenses neutiquam a celebrando deinceps hoc festo absterreri se passos fuisse. Interea temporis occasione ista sensim orta est disputatio,

nec

(x) *Innocentia Vindicata* pag. 101.  
an. 1136. num. 14.

(y) *Ad*

nec minor inter partes dissensio de re ipsa, scilicet an Beata Virgo sine labe peccati *Originalis* concepta fuerit, nec ne. Sententiam negantem defendit schola Thomistica (quamvis non pauci ex ea & ore, & calamo pro Immaculata Conceptione fortiter dimicarint) docens B. Virginem in ipsa Conceptione sua *originalis* peccati labe infectam fuisse, non minus quam alii omnes homines naturali generatione ab Adamo descendentes, utpote *in quo* dicente Apostolo (z) *omnes peccaverunt* nulla facta exceptione: licet speciali favore Dei postea labes illa fuerit abstensa, idque credidit Doctorem suum Angelicum variis in locis satis aperte docuisse. At schola Scotistica cum innumeris aliis affirmantem amplexa est sententiam, ac B. Virginem ab hac labe prorsus & in primo jam Conceptionis suæ momento eximiam pronunciavit, cum Assuero ad Esther Reginam dicente: *Non enim pro te, sed pro omnibus lex haec* (videlicet contrahendi peccatum originis) *constituta est* (a) atque famoso utens arguento: Potuit Deus hoc facere, decuit Deum hoc facere, ergo fecit, nempe ut Mater Divini Purissimique Filii sui a mancipatu diaboli & ab inimicitia Dei, quam origi-

(z) *Ad Rom. 3.*

(a) *Cap. 15.*

originale peccatum contrahendo incurrisset, omni temporis momento imminutus foret: cætera D. Thomam, quando negare videtur Conceptionem B. V. fuisse Sanctam & Immaculatam, intelligendum esse de Conceptione *pure materiali*, quando semen concipitur, & ex eo efformatur embryo, non autem de Conceptione *formali*, quando primo animatur corpusculum, de qua Conceptione *formali* quæstio heic est: atque de hac D. Thomam (b) egisse, ubi *Dicendum* ait quod *puritas intenditur per recessum a contrario*, & ideo potest aliquid creatum inventari, quo nibil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit B. V. quæ peccato originali & actuali immunis fuit: fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Quæ verba S. Doctoris etiamnum leguntur in Exemplari Romano anno 1570. edito (quam editionem omnibus aliis præfert Joan. Franc. Bernardus de Rubeis Ord. Præd. in Dissertationibus criticis de gestis, scriptis & doctrina D. Thomæ, Venetiis an. 1750. in lucem datis) & in alio priori Exemplari Venetiis anno 1515. literis Gothicis impresso, quod utrumque consului

(b) In 1. Sent. dist. 44. a. 3. ad 3.

fului. Ita sonante classico velut dato signo initium prælio huic factum est. Refert Wadingus (c), Mauritium Episcopum Parisiensem an. 1175. publico decreto præcepisse, ne deinceps in illa Universitate defenderetur Conceptio Virginis Immaculata, durasseque hoc decretum usque ad annum 1346. quo tempore Facultas Theologica Parisiensis accersivit Subtilem Doctorem Duns Scotum, qui in solemnī disputatione ducentis argumentis sibi propositis e memoria tanta verborum & sententiarum abertate satisfecerit, ut omnes in suam sententiam pertraxerit, & exinde retulerit nomen *Victoris*, atque hac ratione decretum illud Mauritiū fuisse abrogatum. Sed Alexander Natalis disputationem hanc tanquam nullo antiquo & authentico testimonio comprobatam fabulam censet (d). Fide dignior est narratio, quam Joannes Lannoius, Parisiensis Theologus (e), profert, nimirum an. 1387. a Facultate Theologica Parisiensi condemnatas fuisse quatuordecim propositiones, quibus Joannes de Montefono Ord. Præd. suam de peccato *originali*

(c) *Tom. 3. Annal. Ord. Min. ad an. 1304.*

(d) *Tom. 7. Hist. Eccles. c. 5. a. 1.* (e) *Lib. de celebrioribus Scholit. c. 40. art. 8.*

nali B. Mariæ doctrinam explicavit ac confirmavit, hancque damnationem postea ab Universitate tota & Parisiensi Episcopo largissime adprobatam fuisse. Idem refert Spondanus ad an. 1387. Recruduit tamen controversia seculo XV. circa annum 1431. in Concilio Basileensi, ubi continuos octo dies hac de re disputatum fuit a Joanne de Monte negro Dominicanu, & Doctore Joanne de Contrera Segoviensi, tandemque in Sessione XXVI. sententia asserens Conceptionem Immaculatam tanquam pia, fidei rectæque rationi consona fuit adprobata, quamquam postmodum alias ob caussas Concilium istud ab Eugenio IV. fuerit dissolutum circa an. 1432. Eodem seculo Trithemium Abbatem pia sententiæ adsertorem strenuum acriter aggressus est Lector quidam Francofordiensis, nomine Wigandus Cauponis, Ord. Præd. qui tamen post velitationem duorum annorum Rectore Universitatis Coloniensis, aliisque Doctoribus adnitentibus sententiam suam retractare compulsus fuit, uti refertur in Chronico Monasterii Spanhemiensis ad annum 1495. Incremente indies bello isthoc nonnullos repaire fuit, qui publice pro concione dicere non sunt veriti, peccatum esse; immo hæresin sapere, si quis asserat Deiparaz

Conceptionem esse Immaculatam, quæ  
voces temerariæ ubi ad Sixti IV. Ponti-  
ficiis aures pervenere, hanc illorum Præ-  
dicatorum propositionem damnavit an.  
1483. quemadmodum videre est in Extra-  
vagante *Grave nimis* (f). Idem Sixtus  
IV. Missam & Officium proprium ac pe-  
culiare Devotis Mariæ servitum instituit,  
uti constat ex Constitutione, quæ incipit:  
*Cum Præcelsa &c.* Consideratione digna  
heic est Oratio, quæ in antiquis Missali-  
bus & Breviariis tum Romanis tum Gal-  
licanis ante Reformationem editis etiam-  
num reperitur: *Deus, qui per Imma-  
culatam Virginis Conceptionem dignum  
filio tuo habitaculum præparasti, con-  
cede quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem  
Filii tui prævisa eam ab omni labe præ-  
servasti, ita nos quoque mundos ejus in-  
tercessione ad te pervenire concedas.* Di-  
citur enim 1. *Immaculata ipsa Conce-  
ptio.* 2. *Dignum filio tuo habitaculum  
præparasti.* ecce fundamentum senten-  
tiæ, quare Immaculata censeatur ejus  
Conceptio, quia nimis decuit matrem  
Dei esse Immaculatam, ut sic dignum filii  
habitaculum fieret. 3. *ab omni labe:* uti-  
que peccatum originale labes est. 4. *præ-  
serva-*

(f) *Tit. de reliquiis & veneratione Sanctorum.*

*servasti*, non dicitur, deteristi labem in ipsa Conceptione. Post fatum Sixti IV. assultum aliquem tentavit Card. Cajetanus, dum Lateranense Concilium sub Leone X. Romæ celebraretur anno 1512. nam Tractatum de Conceptione Virginis magno studio compositum Pontifici huic obulit eo fine, ut contrariam sententiam non quidem definiret, sed *quam probabiliorem & sanctorum dictis consonam* eo in Concilio adprobaret; sed spe sua excidit: contra vero Ambrosius Catharinus, Compsanus Archiepiscopus, ejusdem Ordinis, editis quatuor doctis Disputationibus Immaculatam Conceptionem acerrime defendit. Subsequentes quoque Pontifices Innocentius VIII. Alexander VI. aliique plures piam sententiam diversis Constitutionibus confirmarunt usque ad tempora Concilii Tridentini.

In hoc autem Concilio rursus prædicta sententia disputationi tam acri quam memorabili subjecta fuit hac occasione, quam ex Actis ipsius Concilii refert Velasquez S. J. (g) ubi definitum erat a S. Synodo circa peccati *originalis* ad posteros transmissionem, & Episcopis visum fuerat, id generali oratione proponendum esse, plures

(g) *L. de Immacul. Concept.*

res Concilii Patres & Theologi ex Or-  
dine D. Francisci, atque Didacus Lay-  
nez, supremus Præpositus Soc. Jes. ge-  
neralem hanc adfirmationem, videlicet,  
*quod peccatum Adami in totum genus hu-*  
*manum transferit*, nulla facta exceptione,  
minime probaverunt, afferentes hac ra-  
tione futurum esse, ut D. Virgo quoque  
comprehensa censeretur, id quod Eccle-  
siæ sensu & fidelium consensu contra-  
rium foret. Verum huic exceptioni in-  
tercessere Theologi quidam e Familia D.  
Dominici, in oppositam partem adferen-  
tes verba D. Pauli aliorumque Patrum,  
a quibus omnes in Adamo peccasse, per  
peccatum in omnes homines mortem per-  
transisse &c. sine ulla exceptione pronun-  
ciatur. addebat: quantumvis contrariam  
opinionem Ecclesia toleraverit, eum ta-  
men, qui rem penitus introspexerit, fa-  
cile deprehensurum esse, Virginem nihilo  
plus aliis communis contagione exemptam.  
Sed acrius instantे cum aliis Layno, di-  
centibus hac ratione palmarem injuriam  
fieri Ecclesiæ, utpote quæ Conceptionem  
Deiparæ non minus quam Natalem D.  
Joannis Baptiste, quem proin absque pec-  
cato originali natum fuisse omnes profi-  
tentur, solemnni ritu colit, celebrando  
festum hoc magna populi Christiani con-

spiratione, factum est, ut controversia de Immaculata Conceptione, quæ obiter duntaxat & veluti per transennam hucusque agitata fuerat, in quæstionem principalem excreverit. Certatum igitur est utrinque magnis studiis opponendo Scripturas Scripturis, Patribus Patres: inter alia Fr. Joannes de Udine Ord. Præd, hoc dilemma proposuit: „ D. Paulus & Patres aut crediderunt totam vestram D. Virginis a communi mortalius lege exemptionem, aut non crediderunt? Si crediderunt, neque tam unquam nisi universæ locuti sunt, nulla facta exemptionis hujus mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si non crediderunt, tunc vestra opinio novitatem redolet. „ At contra insurgentes Laynius & Fr. Hieronymus Lombardellus Ord. S. Franc. facile diluerunt dilemma istud „ non minorem, affirmantes, Ecclesiæ hujus temporis auctoritatem esse, quam fera primitivæ, eodem videlicet Dei Spiritu ductæ, ab ejusdemque Christi Vicario gubernatæ. atque ideo, si Ecclesiæ veteris consensu factum est, ut Patres sine exceptione tunc loquerentur, consensionem universalem, quæ hisce temporibus celebratione festivitatis,

„ tis illius a Romana Sede institutæ se  
„ se prodit, ad Deiparam a communi  
„ forte excipiendam fortiorum esse, va-  
„ lidioresque ab ea argumentationem  
„ desumi. „ Inter hæc dies illuxit, qua  
Laynius de Immunitate Deiparæ in con-  
fessu Patrum palam differere jussus est,  
quumque eum ipsum in diem febris quar-  
tana, quæ Laynium corripuit, consueto  
circitu esset redditura, decreverunt Pa-  
tres, ut Concio in sequentem differretur:  
sed dilationem hanc recusavit Laynius  
tum Deiparæ patrocinio tum causæ bo-  
nitati confisus, atque per tres integras  
horas magna virium & animi contentio-  
ne peroravit, dumque Virginem a pec-  
cati *originalis* labe immunem esse gra-  
vissimis rationibus demonstrabat, se quo-  
que a febri deinceps penitus immunem  
sensit atque servavit. Denique Patribus  
Dominicanis arena excedentibus ac con-  
sentientibus, Patrum voluntate Decreto  
de peccato *originali* in sessione V. anni  
1556. die 17. Junii celebrata constituto  
hæc sub finem verba fuerunt adjecta:  
*Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus, non  
esse suæ intentionis comprehendere in hoc  
decreto, ubi de peccato originali agitur,  
beatam & Immaculatam Virginem Mariam  
Dei Genitricem, sed observandas esse con-*

*stitutiones felicis recordationis Xysti Pa-*  
*pæ IV. sub pœnis in ejus Constitutionibus*  
*contentis, quas innovat.* Quibus verbis  
dum S. Synodus B. Virginem hoc decreto  
de peccato originali comprehendere no-  
luit, profecto arguitur, illam ab ipso hoc  
peccato Dei Matrem eximere voluisse.  
Unde Vincentius Justinianus Antist. seu  
Antistius Ord. Præd. SS. Theol. Magi-  
ster, dum circa annum 1580. Tractatum  
insignem de Immaculata Conceptione  
( cujus synopsin monumenta literaria Tri-  
voltiensia ad an. 1709. exhibent ) in la-  
cem dedit, in hæc verba prorupit : *Jam*  
*contrariæ sententiæ desunt cathedræ, sug-*  
*gesta, libri, Pontifices, & ipsamet Con-*  
*cilia, quando Tridentinum omnino prote-*  
*ftatur, non esse suæ intentionis &c.*

Finito hoc Concilio Pius V. ut quod  
Tridentinum decreverat, effectui da-  
ret, *Missale* ut vocamus ac *Breviarium*  
Romanum in meliorem redacturus  
formam inter alia statuit, ut officium de  
die Conceptionis celebraretur, quem  
admodum officium de ipsius Nativitate,  
retentis omnibus, solo nomine *Nativi-*  
*tatis* in vocem *Conceptionis* mutato, ex  
quo adparet, traditionem illam de reve-  
latione Helsino facta ( de qua initio di-  
xi ) in Ecclesia Latina ad hæc usque tem-  
pora

pora fuisse custoditam, atque a Pio V. renovatam. Adhuc tamen (mirabile di-  
tu) ferrebat lites ac dissensiones non  
sine Fidelium scandalo. Quapropter Pau-  
lus V. an. 1617. peculiari sanctione ve-  
tuit, contrariam sententiam in publicis  
cathedris doceri, quam sanctionem Gre-  
gorius XV. an. 1622. ad scripta quoque  
& colloquia privata extendit, prohibens  
ne etiam in his a quoquam afferatur sen-  
tentia opposita, donec aliter a S. Sede  
definitum fuerit. Tandem an. 1661. Ale-  
xander VII. die 8. Decembris, seu ipso  
Immaculatæ Conceptionis festo, dolens  
summopere (ut ipse ait in Bulla, quæ  
incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*)  
necdum sublata esse scandala, quæ ex  
opposita sententia orientur, omnia præ-  
cedentium Pontificum decreta confirma-  
vit, innovavit, atque ita declaravit, ut  
nullus jam videretur locus superesse ul-  
teriori disceptationi. Quippe in hac de-  
clarat Pontifex. 1. Veterem sane fuisse  
Christi fidelium erga ejus beatissimam Ma-  
trem Virginem Mariam pietatem sentien-  
tium, ejus animam *in primo instanti*  
*creationis atque infusionis in corpus* fuisse  
speciali Dei gratia & privilegio intuitu  
meritorum Jesu Christi ejus Filii huma-  
ni generis Redemptoris a macula peccati

Originalis præservatam immūnem. Atque in hoc sensu 2. Sanctam Romanam Ecclesiam Festum de Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione, quin & peculiare ac proprium de illo officium jam olim ordinasse (nimirum illud Sixti IV. de quo dixi, & in quo centies repetitur conceptionis ut Immaculata). 3. Declarat hoc festum atque hunc cultum Conceptionis jam olim exhibitum in Ecclesia Romana post sui institutionem nunquam fuisse immutatum. 4. Sanctam Apostolicam sedem per Prædecessores suos sensui & cultui Conceptionis Immaculatæ favorem & tutamentum constanter præstitisse. Porro sebjicit Pontifex in hac Bella gravissimis pœnis ac censuris ipso facto incurrendis 1. omnes, qui deinceps ausi fuerint, innovatas Constitutiones & Decreta sic interpretari, ut favorem cultui Immaculatæ Conceptionis enervare ac irritum reddere velint. 2. Qui sententiam piam, festum, seu cultum in disputationem revocarent, tanquam rem dubitationi subjectam: vel 3. qui contra piam sententiam directe vel indirecte, scripto vel voce loqui, concionari, tractare quidquam determinando vel afferendo, vel argumenta contra afferendo, eaque insoluta relinquendo veriti non fue-

fuerint. 4. Qui vel alio, quicunque ex cogitari potest, modo contra eundem pium sensum ac cultum differere tentarint, declaratque illos nullo excusari praetextu eam ob rem, quod necdum de illo definitum fuerit, aut non definiri possit. 5. gravissime vetat libros omnes imposterum quacunque ratione edendos, quibus in dubiam pia sententia vocatur, aut contrarium defenditur. Hac gravissima Constitutione pia opinio de Immaculata Conceptione veluti in *rem iudicatam*, ut Jurisperiti loquuntur, transiit, & nec jam opinio, sed sententia, moraliter certa audire coepit, ita ut nihil deesse videatur, quin sit articulus fidei, quam sola Ecclesiæ definitio. Qui post Alexandrum VII. secuti sunt Pontifices, vix non singuli præclaro quodam aut monumento, aut nova Constitutione Fidelium devotionem & cultum Immaculatæ Conceptionis stabiliverunt ac promoverunt. Unum præterire nefas foret, proxime defunctum Pontificem Benedictum XIV. Hic non solum *Immaculatæ Conceptionis* titulum, toties ab Adversariis impeditum ab omnibus & ubique libere usurpari posse mandavit, immo in ipsis etiam Ecclesiasticis Edictis, suisque & sacrarum Congregationum Decretis emi-

emicare voluit, sed etiam peculiari Edicto *Capellam ut vocant Pontificiam* in Festo Conceptionis B. V. quot annis solemnni ritu celebrari constituit. Verba Edicti sunt:

*Decretum editum in Consistorio die XXVI. Novembr. An. 1742.*

In quo solemnni die (VIII. Decembris Dei Genitricis Conceptioni sacro) Nos Capellam Pontificiam in Liberiana Basilica haberi volumus. Quod quidem non hoc anno tantum, sed singulis quibusque annis fieri mandamus: ac præcipimus, ut Capella hæc Pontificia in honorem IMMACULATÆ VIRGINIS quot annis celebranda cæteris annumeraretur, ut nimirum ipsa Beatissima Virgo a Deo Nobis implorare dignetur quod petimus, suoque patrocinio non minus Catholicam Religionem, quam hanc Apostolicam sedem benignæ regere velit, ac fovere.

Memorabile illud est, ac Annalibus dignum, quod hac occasione accidit: inter alios Eminentissimos Cardinales, qui consilium rei adeo præclaræ Pontifici suggesserunt, fuit Card. Ludovicus Belluga, qui

qui post institutam Capellam votum quo  
se obstrinxerat, exolvens argenti lami-  
nam aurata inclusam corona, qualem  
ipsius vidi, ad aram S. Aloysii Gonzagæ  
in Romani Collegii templo suspendi cu-  
ravit cum hac epigraphe:

D. O. M.

Impetrato S. Aloysii ope Immaculatæ  
Conceptioni

Matris Dei novo atque Illustri Pontificiam  
per Capellam

Cultus incremento, Ludovicus Cardinalis  
Belluga, Aliique supplices, ex Voto  
VIII. Decembris MDCCXLII.

Appendicis loco ad celeberrimam hanc  
controversiam serviet alia paullo minor,  
quæ tamen totam priorem jam debella-  
tam, nisi mature silentium fuisset impo-  
situm, resuscitare potuisset. Prodiit anno  
1712. liber, cui Titulus *Lamindi Prita-  
nii de ingeniorum moderatione in religio-  
nis negotio*, qui Auctorem habet virum  
alias de re literaria bene meritum, (an  
alieno consilio, an propria quadam eru-  
ditionis ambitione calatum strinxerit,  
non constat) certe meliorem Philologum  
quam Theologum, & apud pios ac do-  
ctos de Immaculata Conceptione male  
meri-

meritum. Ut silentio præterea alia non levia sphalmata Critices non satis moderatæ, graves simul ac iniquas censuras in eo ingenii sui partu innissit voto a multis edi solito, nimirum defendendi ad sanguinem usque Immaculatam Conceptionem. Hoc ipse *sanguinarium votum* adpellat, & piam pervicaciam: sententiam vero de Immaculata Conceptione, post tot annorum conflictum totque viatorias tanta in luce positam, *meram* vocat *opinionem & errori obnoxiam*, pro qua vitam velle prodigere *stultum sit*, *zelum sine scientia*, *prudentiae monitis* *injurium*, *imprudens ac superstitionis* *sacrificium*. Non modice insolens hæc crisiſ pias Italorum, Hispanoruin ac Germanorum aures offendit, quumque anno 1729. Theologus quidam Italus nomen Candidi Parthenotimi adsumens acri scripto in Lamindum invectus esset, eumque merito castigasset, inter alia ipsi objectans, quod piissimas nationes honori ac cultui Deiparæ tantopere addictas ferventi in illam studio avertere conetur, ille errorem suum majore emendaturus edidit in lucem sub nomine Antonii Lampridii latens alium librum Apologeticum, cui titulus: *De superstitione vitanda, sive Censura voti sanguinarii in bono.*

*bonorem Immaculatae Conceptionis Deiparæ emissi*, in quo multis argumentis parum felicibus, & Alexandri VII. Bullæ injuriosis prius temerarium adsertum suum stabilire contendit. Verum ex iis, quæ non ita pridem adtuli e variis Pontificum Bullis, præsertim Alexandri VII. de perpetuo & communi fidelium sensu, de instituto Festo ac Officio Immaculatae Conceptionis, de gravissima interdictione, ne contraria sententia doceatur, neque in dubium, seu publice seu privatim vocetur, certum est *primo*, sententiam de Immaculato conceptu non esse meram opinionem, aut pietatem mere *opinativam*, ut loquitur Lamindus, ac errori obnoxiam, quod tamen pro fundamento ille ponit ad evertendum votum sanguinarium. Si autem fundamentum tam male materiatum est, quale erit ædificium huic superstructum? Certum est *secundo*, pium esse ac virtutis opus, colere Immaculatam Conceptionem. Licet igitur dubium esset id quod colitur, an pro pietate certa, & virtute minime dubia sanguinem fundere ac mortem oppetere non licebit? Si hoc ita est, neque licet falso sanguine virginitatem nullo præcepto sanctam defendere: non licebit mortem oppetere in charitatis officio

cio & obsequio peste infectorum: non  
licebit propria morte vitam patris aut  
matris tueri. Quis sanæ mentis hæc in-  
ficiari ausit? Certum est *tertio*, quoniam  
ista, de quibus dixi, licita sunt, etiam  
licitum esse votum de sanguine fundendo  
pro virginitate tuenda, mortem oppetendi  
ex charitate in obsequio peste infectorum,  
moriendi ad servandam patris vel matris  
vitam. Et credamus impium, nefarium  
ac superstitionis esse votum defendendi  
etiam ad sanguinem usque Immaculatam  
Virginis Conceptionem, Dei ac nostræ  
Matris amantissimæ honorem, ac vitam  
prodigere in obsequiam tantæ Dominiæ  
ac cœli Reginæ quum quivis miles pro  
Principis ac Regis sui honore atque  
salute in mortem certam ruere glriosum  
sibi ducat? magna sane audacia est, unum  
hominem plus sapere velle, quam tot  
Academias, tot Principes, & urbes, tot  
Ecclesiasticos & Equestres Ordines, qui  
voti religione se obstringunt, Immacula-  
tam Conceptionem, donec aliter defini-  
tum fuerit, constanter defendendi, &  
non pauci ex ultimis etiam conceptis  
verbis usque ad mortem. Sed satis re-  
pressa fuit Viri hujus cæteroquin multum  
eruditii hac in re ultra sphæram progressa  
*Censura ab aliis præstancissimis Viris, qui*  
*cala-*

calatum strinxere, ac doctissimis lucubrationibus & libris editis eam profligaverunt: quemadmodum post Candidum Parthenotimum Laurentius Migliacius Panormitanus an. 1741. in *Lampridio detecto & castigato*: Josephus Ignatius Milanese S. J. SS. Theol. Professor an. 1742. in *Lampridio ad trutinam revocato*: & postquam his epistolas quasdam sub ficto nomine Ferdinandi Valesii primus auctor & semper idem Lamindus opposuit an. 1743. Benedictus Piazza S. J. in laudato volumine *Causa Immaculatæ Conceptionis dicto & quasi Decretorio*, an. 1747. vulgato. Quare tota hæc controversia cum denique finem nacta est, quod una ex parte Marianæ erga Immaculatum Deiparæ Conceptum devotio magis fuerit illustrata, ex altera factum sit palam, in qua præcipitia deducat homines alias claros & eruditos nimia eruditionis arrogantia, critico quodam spiritu in sacra & profana promiscue involare adsueta.

### §. IX.

#### *Controversia de Auxiliis Gratiæ.*

### CXXII.

**A**ntequam in ipsa celeberrimæ hujus controversiæ quæ præcipuas duas

BIBLIOTHECA DOMESTICA LIB. XII. C. 6 Sche-

Scholas Thomisticam & eam quæ Societatis est, dudum inter se collisit, penetralia ingrediamur, juvat paucis occasionem illius primam in conspectum dare, Hæc non alia erat, quam *Scientia Media*, ideo sic dicta, quod inter scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis* velut intercederet. Hanc e SS. Literarum & SS. Patrum auctoritate de promtam quasi ex tenebris in lucem protraxit in suo *de Concordia gratiæ & liberi arbitrii* libro Ludovicus Molina S.J. Hispanus, magnum inter Theologos, quin & Jurisconsultos nomen tam ob doctissimos in i. p. D. Thomæ Commentarios, quam ob sex Tomos *dè Jure & Justitia* summo semper in pretio a profundis Jurisperitis habitos. Animadvertisit enim sagacissimus in literis Divinis Vir, & tum ante ipsum Petrus Fonseca ejus Magister in rebus Theologicis, tum post ipsum plurimi non solum e Societatis Jesu scholis, verum etiam ex aliis præcipuis Europæ Academiis Doctores nominatissimi, præter objecta, ad quæ duplex scientia illa Theologis notissima, videlicet *simplificis scientiæ & visionis* sese extendit (nempe partim possibilia, partim quocunque demum tempore existentia) alia quoque reperiri, nimirum *conditionalia* seu sub

con-

conditione duntaxat futura, quorum non minus certa scientia Deo concedenda esset, ac priorum. Rei hujus manifesta e SS. Literis testimonia in medium protrulerunt de Tyriis & Sidoniis (h) de Davide commorante in urbe Ceila (i), de Elisæo ad Regem Joas misso, (k) de raptu animæ (l), de Jeremiæ vaticinio (m), &c. Ex his & similibus S. Scripturæ effatis legitime ac solide demonstrarunt cum Molina Doctores isti, certam veritatem etiam conditionalium scientiam Deo inesse, & non tantum conjecturalem, quam solum tum temporis Deo conceabant Thomistæ, uti constat ex Petro Ledesma Ord: Præd. Tractatu de Auxiliis (n) ubi referens sententiam de notitia divina horum objectorum solum conjecturali ait: *banc sententiam sequuntur omnes discipuli S. Thomæ, qui bac tempestate interpretantur illum, & omnes, qui sequuntur ejus doctrinam in auxiliis gratiæ.* Immo ipse, tanquam cæterorum Antesignanus (o) conclusione quinta: *Secunda, inquit, sententia (nempe quod Deus non habeat certam & infallibilem cogni-*

(h) *Luc. 10.* (i) *I. i. Reg. c. 23.* (k) *I. 4:*

*Reg. c. 13.* (l) *Sap. c. 4.* (m) *Jerem. 38:*

(n) *editio 1611.* pag. 580. (o) *pag. 398:*

cognitionem horum futurorum *conditionalium* natorum) est certissima taliter, ut opposita non sit mibi probabilis. Verum post Molinæ aliorumque nostrorum de certa *conditionalium* scientia, quam ille *Medium* vocabat, doctrinam publici juris factam non facile quisquam Thomistarum hac in parte eam inficias ivit. Interea tamen scientiæ huic certæ ac *infallibili* sub nomine *Mediae* nullum in scholis theologicis locum concedere volebant, sed antiqua partitione scientiæ divinæ in duas classes, videlicet *simplicis intelligentiæ & visionis* standum esse acerrime contendebant, non jam rem ipsam, sed nomen innocens impugnantes. Verum impedire non potuerunt, quin plurimi alii in cathedris & scholis suis scientiam medium in consortium reliquarum admitterent, ac civitate donarent, qua etiamnum hodie fruitur. Igitur aliam ingressi viam validissime illam oppugnare cœperunt eo ex capite, quod ejusdem Patroni doceant, scientiam ejusmodi *conditionalium* seu medium non *supponere* decretum divinum, quod re ipsa in Deo absolute existat, totisque contendebant viribus, ea quæ sub conditione futura sunt, certo ac citra omne periculum errandi a Deo cognosci non posse, nisi in *Decreto prædeter-*

determinante, quod subjective absolutum,  
& terminative conditionatum dicebant.  
Hujus decreti prædeterminantis subjective  
absoluti & terminative conditionati  
inventorem fuisse satis constat Didacum  
Alvarez, Magistrum & Regentem Miner-  
vitanum; ipsius vero *Prædeterminationis*  
seu *Præmotionis* Physicæ Dominicum  
Bannez, celebrem in Academia Salman-  
ticensi Theologum, utrumque Ord. Præd.  
Certe D. Thomas non fuit, teste Reve-  
rendissimo Turco, totius Ordinis Prædi-  
catorum Generali, qui uti legere est apud  
Gabrielem Henao (p) & Dominicum  
Viva (q) cuidam ad mentem D. Thomæ  
*Præmotionem* hanc esse asseveranti  
publica in concertatione respondit: *Osten-  
de mibi locum D. Thomæ, in quo Physi-  
cam Præmotionem propugnavit, & crea-  
bo te Magistrum adversus constitutiones  
tuæ Provinciæ.* Cui simile quid, si non  
idem Joannes Bagotus Theologiæ Claro-  
Montanæ Parisiis Professor apud Plateli-  
um (r) refert, nimirum eundem Re-  
verendissimum Turcum in publica dispu-  
ta-

(p) *In scient. Med. Theologice defensata scđt.*

176. num. 1869. & part. 2. lib. cit. scđt.

498. (q) *Part. 3. Disp. 3. q. 2. n. 1.*

(r) *Part. I. c. 3. §. 2. n. 107.*

tatione Parisiis an. 1664. instituta palam  
edixisse: *S. Doctori immerito adscribi*  
*Prædeterminationes Physicas, ejus Princi-*  
*piis evidenter contrarias.* Illud negari  
haud potest, in Indice Generali super  
omnia D. Thomæ Opera edito Romæ  
an. 1570. qui vastissimum volumen con-  
ficit, nullibi nomen ac mentionem *Præ-*  
*determinationis* aut *Præmotionis*, multo  
minus *Physicæ* reperiri, ne quidem in  
adjecto ad calcem *Brevicula* seu *Reper-*  
*torio* omnium dictionum Principalium,  
inter quas utique locus fuisset conce-  
dendus *Prædeterminationi Physicæ* adeo  
famosæ, si eam S. Doctor vel invenisset,  
vel tradidisset, aut propugnasset. Qua-  
propter Bannesius præcipuus belli hujus  
scholastici ac totius controversiæ Auctor  
frustra tam amaris quæstibus fatigare  
aures videtur, clamareque, incognitam  
toti venerabili antiquitati, atque inau-  
ditam ad sua usque tempora in scholis  
fuisse hanc divinæ scientiæ partitionem,  
uti & vocem *Scientiæ Mediæ*, quam æque  
parum aut minus cognita Antiquis & D.  
Thomæ fuerit *Prædeterminationis* seu *Præmo-*  
*tionis Physica*, aut *Decretum Prædeterminans*,  
utpote eodem tempore vel paullo ante in  
hortis Alvaresii & Bannesii velut heri pri-  
mum nata. Hæc de Scientia Media.

CXXIII.

Jam vero Controversiae de Auxiliis Gratiae vera & genuina origo hæc est: Negavit Calvinus cum aliis hereticis libertatem humanæ voluntatis, ut efficaciam gratiæ divinæ explicaret, cui vim quandam necessitantem tribuit. Detestati sunt omnes Catholici pestiferum hoc dogma quumque tunc temporis melior via non occurseret, adhaeserunt plurimi doctrinæ Thomisticae, quæ libertatem hominis fortissime propugnavit: gratiæ vero efficaciam credebat explicare se quam optime per virtutem eidem *intrinsecam* atque innatam, sine ulla vi cogente humanas mentes, & in quamcunque partem vellet, certissimo inflectentem. Videns autem Molina cum aliis e Societate Doctoribus, quod hac ratione libertati necdum satis caustum esset, afferendo quidem fortiter, dari omnino in homine libertatem, quam *Indifferentia* vocant, gratiam vero vim ac necessitatem nullam libero arbitrio inferre: tribuendo tamen gratiæ talem virtutem *intrinsecam* & *essentialē*, cui humana voluntas resistere non posset, vel certe nunquam resistura esset, quamque ut acquirat, vel declinet, neutiquam esset in hominis potestate, sed in solius

Dei concedentis vel negantis voluntate seu Decreto, omne liberi arbitrii *exercitium* antecedente: videns inquam hoc Mollna cum aliis, credensque eadem manu, qua periculo subduceretur libertas nostra, rursus in illud conjici, aliam ineundam sibi viam esse putavit, ut hæreticis os obstrueret, clamantibus Catholicos verbis quidem a se dissentire, non re ipsa, & gratiam quam ipsi vocarent *necessitantem*, dici ab illis *prædeterminan-*  
*tem.* Itaque quum systema suum de scien-  
tia media in publicam lucem produc-  
ret, ratus medium hoc fore optimum  
conciliandi libertatem humanam cum effi-  
cacia gratiæ divinæ, docuit & post ipsum  
docuerunt quamplurimi, docentque etiam-  
num impune: gratiam quidem secundum  
se non esse connexam cum consensu; ubi  
tamen Deus præviso per scientiam me-  
diā (quod hujus proprium est officium)  
hominis consensu eam confert, & hac  
voluntate confert, quod præviderit cum  
consensu fore conjungendam, ejusmodi  
gratiam omnino esse efficacissimam, &  
certissime post se consensum re ipsa tra-  
here, quin ulla ratione lœdatur humana  
libertas, utpote cuius liberum *exercitium*  
*supponeret* scientia media, & a quo ipsa  
sua modo penderet, possetque impediri

ac evitari ab arbitrio creato. Atque hac ratione censebat Molina cum Societatis Theologis iniri posse *Concordiam gratiae cum libero arbitrio*, quem etiam titulum libro suo præfixit. Quippe hoc modo intactum relinquitur supremum & abso-lutissimum Dei in omnes actiones, etiam liberas, Dominium, simul & libertas hu-mana sarta tectaque servatur: dominium quidem Dei, quum penes Deum sit in hoo systemate conferre ac conservare poten-tiam libere agendi; subministrare gratiam excitantem & adjuvantem, sine quibus nullum opus bonum, neque ipse in bo-num consensu effici potest; flectere pro-sua lubidine arbitrium humanum in quam-cunque partem conferendo talem liber-tatem & gratiam, quam per Scientiam medium videt fore conjungendam cum consensu: Libertas vero humana, dum penes ipsam sit, Deo sic decernente, ut gratia collata vel conferenda uti possit, vel non uti; eidem resistere vel con-sentire potentia saltem antecedente; facere ut Deus prævideat hanc gratiam effica-cem fore, illam inefficacem. Hæc, quæ sane nemo vel levissime tinctus in rebus theologicis negare potest, non doctrinæ novæ cudendæ gloria, ut perperam ad-versa pars suspicabatur, sed veritatis in-

lucem producendæ, hæreticique dogmatis penitus profligandi studio incitatus Molina, cæterique ipsius doctrinæ adhærentes docere ac palam exponere cœperunt difficillimis illis temporibus, quibus Catholicos inter & Acatholicos gravissimum circa gratiam divinam & libertatem humanam bellum exarsit. Profecto hac in re non egerunt aliud, quam quod Instituto suo, & præclaræ S. Fundatoris sui doctrinæ ac monitis erat conforme, contra quam nonnulli ad invidiam faciendum criminantur, dum asserere non dubitant, brevi tempore degenerasse filios a S. Patris sui præscripto gravissimo, ut maxime in tradenda Theologia a S. Thoma non recederent. Audire juvat S. Ignatium ipsum, quæ hoc in negotio illius mens ac sententia fuerit. Hic in Aureo suo Exercitorum Spiritualium libro, quantum ad singula pertinet, oraculo Sedis Apostolicæ solemniter adprobato, dum regulas quadam statuit, *ut cum Orthodoxa Ecclesia sentiamus*, inter alias decima quarta sic loquitur: *Advertendum est; quamquam verissimum sit, nemini contingere salutem, nisi prædestinato, circumspede tamen circa hoc loquendum esse, ne forte gratiam seu prædestinationem Dei nimis extenderentes, liberi arbitrii vires,*

& operum bonorum merita excludere velle videamur: vel e converso, ne plus aequo buic tribuentes illis interim derogemus. Eodem in libro Exercitiorum paullo infra, regula decima septima, prescribit: Neque itidem praedicande & inculcande gratiae Dei usque adeo insistendum, ut semper inde possit Auditorum animis lethabis error, negata liberi arbitrii nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est, Deo inspirante, sed quatenus in gloriam ejus ubiorem redundat, idque juxta modum convenientem nostris praesertim temporibus tam periculosis: ne liberi arbitrii usq[ue], & operum bonorum efficacia tollatur. Atque, in has Ignatii sapientissimas regulas dum commentatur Eximus Doctor Suarius (s) occasionem inquit summo advertendi, zelum quem nunc habet Societas recte explicandi concordiam gratiae cum libero arbitrio, & convenienter loquendi, & accommodate ad resistendum Lutheru[m] aliisque hujus temporis haereticis, eundem fuisse in Patre Nostro Ignatio, ut vel ab illo in Societatem manasse, vel eundem Spiritum, qui banc Religionem movet ad resistendum haereticis, hujus esse Doctrinæ Auctorem.

Cæte-

(s) Tom. 4. de Relig. Societ. in particulari l. 9.  
c. 5. dub. 12.

Cætera voluit equidem S. Ignatius, ut filii sui non facile discederent a doctrina S. Thomæ, non autem, ut semper accederent doctrinæ Interpretum Thomistarum, quæ duo admodum diversæ res sunt.

## CXXIV.

Verum *Concordia* hæc, seu liber, quo inter gratiam & liberum arbitrium concordiam stabilire conatus est Molina, pomum illud *Discordia* fuit inter scholam Thomisticam, & eam, quæ Societatis est, atque *lapis offensionis*. Quippe Dominicus Bannez, de quo dixi, Vir acer ingenio, Commentariis in S. Thomam editis celeber, magnæque inter suos auctoritatis: usus Magistro Melchiore Cano, ejusdem Ordinis homine doctissimo quidem, sed nescio quam ob æmulacionem Societati qua dictis qua scriptis palam offenso, circa annum 1588. vix perlatu ad se rumore, Molinam librum Concordiæ prælo in Lusitania commissurum, mox occultis cuniculis scientiæ mediæ propugnaculum subruere tentavit. Igitur ipse, ejusque familiares collatis inter se consiliis librum Concordiæ necdum typis editum, necdum a se visum, multo minus perlectum privato suo judicio damnant,

nant, atque ad Cardinalem Archiducem Albertum, & quam dicunt Inquisitionem Generalem Lusitanicæ, cuius Præsidem agebat Albertus, tanquam propositionum damnatarum & Pelagianismi resuscitati reum deferunt. Ita fatetur ipse Augustinus Le Blanc seu latens sub hoc nomine Fr. Hyacinthus Serry, Ord. Præd. in Historia de Auxiliis (t) : *Vix absoluta erat editio, & ne cum venalis prostabat, cum Fr. Fr. Prædicatores injecta suscitati Pelagianismi accusatione publicationi ejus intercesserunt.* Sed primus hic assultus neutram ad vota successit. Quippe pro-  
vido Numine sic disponente factum est, ut liber Molinæ a Viro ex Illustrissimo Prædicatorum Ordine, doctissimo & que ac religiosissimo, primum dignumque re-  
stimonium ferret. Nam sacrae Inquisicio-  
nis Lusitanicæ Senatus librum Concordiæ  
ad se delatum publico librorum Censor  
Bartholomæo de Ferreira examinandum  
dedit. hic illustre profecto elogium in ad-  
probatione sua contexuit, in fronte libri  
positum, in quo 1. ait, *ea qua potui diligenter bunc librum examinavi.* 2. vocat  
auctorem *Doctorem eruditissimum, virum*  
*in divinis scripturis studiosissimum, jux-*  
*ta ac Religiosissimum.* 3. addit, *Quapro-*  
*pter*

(t) *Lil. x. f. 12.*

pter valde dignas arbitror has lucubratio-  
nes, quæ in publicam totius Ecclesiæ uti-  
litatem excudantur. Huic simile testimoni-  
um tulit idem liber Molinæ in Regiis Ca-  
stellæ & Arragoniæ Tribunalibus, in qui-  
bus eum vulgandi potestas fiebat, mun-  
ta non solum adprobationibus luculen-  
tis, verum etiam amplis & honorificis  
encomiis Petri Loppii de Montoya, & Jo-  
annis Villæ Theologorum, quibus excus-  
tiendi libri cura demandata fuerat. Qua-  
re cadentibus in irritum cunctis Banne-  
fii sociorumque machinationibus qua oc-  
cultis qua manifestis; tandem Inquisitio-  
nis Generalis Lusitaniæ solemni judicio,  
accedente Archiducis tanquam Præsi-  
dis consensu, permisum est, ut Molinæ  
liber *de Concordia gratiæ & liberi arbi-*  
*trii* sub initium Julii an. 1588. omnium  
victor difficultatum in lucem prodiret;  
adjecta appendice, qua respondit auctor  
ad ea; quæ ab Adversariis suis objecta sibi  
fuerunt. Neque solum libri editio per-  
missa fuit, sed etiam S: Senatus hujus ju-  
dicium gravissimum accessit, nimirum;  
quod doctrinam valde utiliæ, sanam, &  
conformem Scripturæ, Conciliis, & SS.  
Patribus contineat, quemadmodum ipse  
tunc temporis supremus ejusdem Præses  
Archidux Albertus in suis ad Clemen-  
tem

tem VII. literis testatur. Rebus ita, ut exposui, in Lusitania pro Molinæ libro feliciter gestis, in Hispaniam bellum hoc literarium est translatum. Displi-  
cuit nimurum honor ille, qui paullo post publici juris factam Molinæ concor-  
diā libro huic in præcipuis Hispaniæ  
urbibus & Academiis habitus est, ut in-  
genue fatetur acerrimus Adversarius, rei  
credo evidentia convictus, Thomas de  
Lemos Ord. Præd. qui (u) in hunc mo-  
dum loquitur: *Liber ille novam (ut vi-  
debatur) continens doctrinam a compluri-  
bus acceptatus fuit, & ejus dogmata am-  
plexata, ita ut in communibus disputatio-  
nibus, publicisque congressibus, immo &  
in scbolis nihil aliud audires, quam banc  
Molinæ doctrinam.* Et vero in Hispania  
a plerorumque Ordinum Religiosorum Vi-  
ris doctissimis, quique Theologiam publi-  
ce professi sunt, Molinæ doctrina passim  
tradebatur in scholæ cathedris. Ex his  
omnium primi fuerunt Patres de Familia  
S. Francisci in Conventu Ubitensi circa  
an. 1592. Iorum vestigia secuti sunt eo-  
dem tempore Augustiniani, Benedictini,  
Cistercienses, Carmelitæ, iique quos Mini-  
mos vocant. Neque solum Ordines Re-  
ligiosi, verum etiam præcipuae per Hispa-  
niæ

(u) In Panoplia Tom. I. Tratt. 6. c. 3.

niæ Regnum Universitates Complutensis, Hispalensis, Vallisoletana, quorum omnium insignia, & pro doctrinæ Molinianæ innocentia authenticis quas vocant tabulis comprobata testimonia exhibit Eleutherius (x). Quare ad S. Inquisitionis per Hispaniam supremum Tribunal Molinam cum libro suo deferunt, tanquam doctrinæ in fidei dogmatibus erroneæ ac hereticæ reum. Ab hoc igitur liber memoratus Academiæ Complutensi, quæ reliquis fere tota in Hispania commendatior & illustrior est; atque in ea insignioribus octo Doctoribus & Theologiæ Magistris per annum integrum severo examini subjiciendus traditur. Sed & heic superior evasit, & ab omni censura immunis prodiit. Testantur id literæ Cancellarii Universitatis Complutensis ad Cardinalem Pompejum Arragonium datæ. in his ait: *magna & accurata diligentia per longum tempus, maturo consilio, me præsentē id præstitum est (scilicet examen) non sine libri approbatione.* additque: *Doctissimorum Virorum, qui buic examini interfuerunt, placita si ii, qui hunc librum perlegunt, attenti audirent, non dubito, quin libenter acquiescerent.*

Con-

(x) *In Hist. Controv. de Auxil. l. 2. c. 11. 12.*  
C 12

Confirmarunt hæc omnia iidem Doctores Complutenses exaratis ad ipsum Pontificem Clementem VIII. literis, asseverantes insuper, Universitatis suæ judicium a magno Doctorum numero totius Hispaniæ peritissimorum comprobari. Quumque Petrus Michael, Doctor Complutensis, qui tunc Romæ agebat, certiores redderet Collegas suos, adversam partem omni industria conari, ut persuadeat Pontifici, Complutensem censuram a Patribus Societatis dictatam fuisse, illi alteram ad Pontificem epistolam scripere in qua inter alia sic loquuntur: *Cum vero indignum sit quæ nobis examinanda proponuntur, alieno calculo judicare, eorum præsertim, quorum res agebatur & causa . . . de integro libro judicavimus, prout in instrumento a nobis confecto, & propria manu subscripto continetur. . . . Reliquis omnibus tam secularibus quam Religiosis ignorantibus prorsus non modo censuram judiciumque nostrum; sed etiam quidquid in tam frequenti Conventu nostro versaretur. Integras epistolas legere licet apud Eleutherium (y).*

CXXV.

(y) L. 2. c. 13. de Auxil. grat.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XII.

D d d

## CXXV.

Nihil jam spei reliquum videbatur Adversariis tum in Lusitania, tum in Hispania. Igitur omnem operam suam in id contulerunt, ut causa tota ad Romanæ Inquisitionis Tribunal pertrahetur. Id effectui dederunt, potentum in Urbe amicorum suffragiis confisi anno 1596. quo Bannesius victoriæ certius obtinendæ spe illectus Didacum Alvarez, cum privatis libri Molinæ accusationibus ac censuris Romam alegavit. Hic quam primum ad Cardinalem Alexandrinum, Ordinis Prædicatorum, e quo ad purpuram adsumptus erat, *Protectorem* se contulit, ejusque in re tanti momenti auxilium implorans supplicem libellum porrexit, Pontifici si videretur exhibendum. In isto autem decem propositiones continebantur, novem e libro Molinæ, decima vero e Francisci Suarli, Molinæ defensoris, operibus collectæ una cum censuris cuivis propositioni subjectis, quibus titulus erat præfixus: *Apologia Fr. Fr. Prædicatorum in Provincia Hispaniæ, SS. Theologiæ Professorum &c.* Nec mora: Apologiam hanc Card. Alexandrinus Clementi Pontifici clam obtulit, & ad nitentibus Cardinale Asculano, priusquam ad

ad purpuræ sacræ honorem evcheretut, Dominicanæ Familiaæ Alumno, atque Francisco Pegna Rotæ Decano, rem eo deduxit, ut quamprimum litis cognoscendæ initium daretur, quod etiam factum est 2. Jan. an. 1598. coram octo vel potius novem Consultoribus a Pontifice designatis, quibus Alvarez cum suis jam antea persuadere conatus est, id unum Molinæ propositum fuisse, ut novam de gratia & *prædestinatione* Theologiam cuderet, deserto antiquitatis tramite, contemptaque SS. Augustini ac Thomæ auctoritate. Res maxima cum festinatione peracta est. nam vix mensium trium spatio post undecim conventus celebratos Consultores isti 13. Martii ejusdem anni judicium decretorum pronunciarunt in hæc verba : *Censemus e re Catholica esse, ut liber qui inscribitur Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, compositus a Ludovico Molina, & ejus doctrina omnino prohibetur &c.* Verum Pontifici merito suspecta fuit tanta in re tanti momenti, cui examinandæ plures integros annos Lusitanæ ac Hispaniæ sacra Tribunalia impendissent, festinandi judicandique ratio. Quare telam retexere jussit, causamque majori cum circumspectione ac diligentia, actisque controversiæ in Hispania inchoata.

tx (quæ Consultoribus exspectare non libuit, donec adveharentur) inspectis ad incudem revocari. deprehensum enim fuit, damnatas fuisse ab iisdem propositiones quasdam Molinæ, quæ vel erant certæ, vel communiter in Theologia receptæ, & quidem non audita parte altera: præterea non æquitatem arbitrorum sed adversariorum acerbitatem præferebant, quum unus eorum Gregorius Coronellus singulis fere paginis censuræ in Molinam uti hæreticum & Pelagianum invehernetur. Sed post multos alios conventus necquidquam meliores Clemens una ex parte justis contra Consultores querelis fatigatus, ex altera inspectis tot Academicarum & Theologorum testimoniis, quæ ex singulis Europæ partibus interea Romam transmissa Molinæ doctrinam magnopere commendabant, ipse ad causæ cognitionem se accinxit partium congressibus coram se indicatis, monitisque duorum Ordinum, Prædicatorum & Jesuitarum supremis Rectoribus, ut quos vellent Theologos in amplissimam Disputationis arenam secum adducerent: Spectatorem se fore ac Arbitrum universi certaminis. Huic initium datum est anno 1602. 20. Martii in Vaticano Palatic, in quo prima Congregatio celebrata fuit

coram

coram Summo Pontifice, cui assidebant Cardinales duo, Pompejus Arragonius, & Camillus Burghesius, qui postmodum sub Pauli V. nomine toti Ecclesiæ diu præfuit. Episcopi aderant complures doctrina præstantes & eruditione. Partes Dominicanorum sustinebat Didacus Alvarez Magister & Regens Minervitanus, postea Archiepiscopus Tranensis, Prædicatorum Theologus, qui præter Commentarios in Isaiam Prophetam de Auxiliis gratiæ, & humani arbitrii viribus scripsit: Molinæ vero ac Societatis causam tuebatur Gregorius de Valentia, qui per annos viginti tres Theologiam Scholasticam & docuit, & Tomis quatuor illustravit. Ubi Pontifex pauca præfatus erat de natura & momento negotii, omnesque paterne adhortatus, ut suo quisque munere sedulo & fideliter fungentur, questio agitari coepit: Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, S. Augustinus, an Molina? respondit Valentia, Molinam non majores tribuere quam tribuisse Augustinus, nec ullas eidem negare, quas idem Augustinus concederit. Ultrumque hoc assertum prolixa docta que oratione probavit adductis tum Augustini tum Molinæ testimoniis clarissimis, & visus est etiam Ad-

versariis non dissidentibus palmam in hoc omnium primo congressu retulisse, Didaco Alvarez arena excedente, cuius in locum successit Thomas de Lemos Theologus Prædicatorum, in disputando vehementior priore. Tenuit autem hæc disputandi ratio inter utrumque Ordinem in hoc literato Almæ urbis theatro summa cum Orbis Christiani exspectatione per quatuor fere annos usque ad annum 1606. Congregationes universim quadraginta septem institutæ fuerunt, nempe triginta septem Clemente VIII. hoc autem e vivis sublato præsente Paulo V. decem reliquæ. Causam intervallo temporis hujus egerunt e Familia Dominicana Didacus Alvarez, & Thomas de Lemos: e Societate Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal, & Ferdinandus Bastida. quid in singulis Conventibus istis actum fuerit, e publicis monumentis fide dignissimis exponit Theodorus Eleutherius, & ex Actis nomine Francisci Pégnae & Fr. Thomæ de Lemos in lucem datis Augustinus le Blanc. Initio quidem multum temporis in eo rerum articulo absumptum fuit, num propositiones e Molinæ libro extractæ censuram jure merantur, & vel Pelagianismo affines, velominino essent Pelagianæ. Paullo post ven-

ventilata fuit quæstio, an Molina sentiat eum Cassiano; tum ejus doctrina cum Augustini doctrina conferebatur, expendebaturque num ei conformis sit, nec ne. Sub initium quidem controversie Clemens parum favere Molinæ, quin etiam nescio quibus præjudicis occupato animo ad disputantium cœtus accedere videbatur, sed perceptis, quibus accusationum torrens sistebatur, responsis, licet jam adversa valetudine tentaretur, Codicem Molinæ magna attentione ipsus legit, & notis propria manu adscriptis a Pelagianismo & Semipelagianismo vindicavit, quibus illustratus hic ipse Codex etiamnum in Tabulario Romano Societatis asservatur. Sed hos pios doctosque Pontificis conatus gravis morbus, morsque an. 1605. secuta subito evertit.

## CXXVI.

Huic qui successit Paulus V. diversam hoc in negotio viam inivit: hauserat enim perfectissimam rei totius notitiam e tot illis, quibus interfuerat sub Antecessore suo concertationibus. Quare quum probe animadverteret, tempus teri vanis Pelagianismi ac Semipelagianismi objectationibus, utpote quibus pars altera æquali

D d d 4 vel

vel majori jure affinitatem cum Lutheri  
ac Jansenii doctrina opponeret, præter  
omnem Accusatorum spem & exspecta-  
tionem in examen vocari permisit *Præ-  
determinationem* physicam Bannesiano-  
rum, quod ne fieret, toto auctoritatis  
pondere sub Clementis Pontificatu amo-  
liti fuerant, prætexentes nolle se ex Acto-  
ribus Reos fieri, nec passuros esse, ut  
qui Molinianæ doctrinæ Accusatores ve-  
nerunt, propriam (tanquam aliquid in  
ea periculi lateret) tueri cogerentur.  
Coacti sunt tamen. Itaque rejectis am-  
bagibus denique ad ipsam controversiæ  
radicem de gratiæ efficacis natura, &  
physicæ *prædeterminationis* indole per-  
ventum est, propositaque hæc Pontificis  
voluntate quæstio: *An Deus sua efficaci  
gratia moveat hominis voluntates ad actus  
liberos bonos non solum intus suadendo,  
invitando, excitando, aut alias morali-  
ter attrahendo, sed etiam vere, & active  
proprie, salva tamen humana libertate?*  
*& an talis efficax gratia convenienter ab  
aliquibus scholasticis physice prædetermi-  
nare dicatur?* huicque rei ventilandæ  
fere omnes reliquæ Congregationes ma-  
ximo utriusque partis conatu impensæ  
fuerunt. Lemos quidem adductis Scri-  
pturæ ac Patrum, præcipue D. Augustini

ac S. Thomæ locis bene multis id, quod caput rei erat, evincere conabatur, violari supremum dei in omnes actiones humanas dominium, dum gratiæ *intrinseca* & *essentialis* efficacia, visque *prædeterminandi* voluntatem denegatur, & tribuitur libero arbitrio virtus se ipsam in hanc vel illam partem, seu ad bonum seu ad malum inflectendi. At Bastida prolixè demonstravit, non minus a Scriptura & Patribus supremum dei in omnes res creatas dominium extolli, quam humanæ voluntati concessam a Deo libertatem commendari: utrique quod suum est, esse tribuendum, ne fidei dogma hoc in negotio evertatur: jam vero supremum dei dominium intactum relinqui, si dicatur, Deum dando gratias non quidem in se efficaces, sed tales, quibus per scientiam medium (quæ Deo negari non potest) *prævidet* voluntatem humanam in his vel illis circumstantiis positam esse consensuram, quemlibet actum bonum obtinere posse, quum penes ipsum solum sit dare hujusmodi gratias, vel non, salva interim hominis libertate, utpote a qua consensus ejusque *prævisio* suo modo penderet: verum dando gratias in se efficaces, & quæ ex natura sua *infallibiliter* cum consensu essent

connexæ, nec quo minus efficaces sint, ulla ratione impediri aut evitari ab homine possint, tollere libertatem *indifferentię*, contra quam novissime Tridentinum Concilium, cuius utique auctoritas cuicunque auctoritati & rationi prævaleret (z), conceptis verbis definierit: *liberum hominis arbitrium a Deo motum posse dissentire, si velit*; cum qua definitione systema Molinæ ac Societatis de gratiæ efficacia optime convenire, contra systema Thomistarum *Prædeterminantium* conciliari non posse palam foret. Multa heic, ut fieri amat reposuit Lemos, multa replicavit Bastida. Gravissimum pondus addiderunt Acta Concilii Tridentini in Arce S. Angeli adservata, e quibus Cardin. Bellarminus in scripto Pontifici oblato (quod adhuc in Tabulario Societatis Romæ adseratur) hæc illi retulit: *In Actis Concilii, quæ habentur in arce S. Angeli, refertur, quod cum in disputatione Theologorum, quæ babebatur ante sessionem sextam, duo Religiosi protulissent sententiam istam de prædeterminatione liberi arbitrii, fuit male acceptum a cæteris, eo quod non videretur valde Catholicum, & propterea Decretum formatum est, juxta communem alio-*

(z) *Seff.* 6. *Can.* 4.

*aliorum sententiam.* His omnibus coram Tribunali suo diu multumque agitatis, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1606. ut tandem controversiae huic finem imponeret, rem post collecta Judicium suffragia cum solis Cardinalibus contulit, matureque expendit. Quid in eo congressu decretorio actum fuerit, inter arcana nemini adhuc pervia referri debet. E nullis enim monumentis certo resciri potuit hucusque, an aliquid conclusum fuerit pro hac vel illa seu damnanda seu publice adprobanda sententia. *Fuere*, inquit Adversarius le Blanc (a), qui dicerent, *Pontificem & quinque Cardinales pro Apostolica definitionis promulgatione pronunciasse, quatuor intercessisse.* Verum quid certo rei fuerit, probavit eventus. Qui nam illi fuerint, non refert hic Auctor. Sed fuerunt etiam alii, qui assererent, uti Spondanus ad an. 1606. Joannes Martinez de Ripalda (b), atque ut nihil dicam de Petro a S. Josepho e Congreg. Fulienensi, de Paulo Leonardo Iberno, Manapiensi S. Theol. Professore, Gabriele Hennao, & Francisco Annato &c. Eleutherius seu Livinus de Meyer: notum esse orbi, Pontificem cum Cardinalibus Per-

(a) *L. 4. Hist. c. 18.* (b) *Hist. Controv. de Auxil. Vindic. l. 1. c. 6.*

Perronio & Bellarmino, & aliis pronunciasse, ut *omnis doctrina Molinæ indemnus confisteret*, & ut *utriusque Familie sententia in Scholis Catholicis tuto & impune doceretur*, donec aliud a S. Sede decernatur, ea tamen lege, ut *neutra quisquam carpat, injuriisque lacerat*. Verum quum certis omnino publicisque Tabulis ista non constent, optimum erit (uti nec difficitur le Blanc paullo ante citatus) rem *ex eventu metiri*, & cum ipso, licet Adversario acerrimo, e causa exitu probare, penes quam partem victoria tot tantisque conatibus quæsita steterit. Igitur lite primum in Lusitanæ ac Hispaniæ regnis apud S. Inquisitionem ab æmulis mota Molinæ ac Societatis doctrina illæsa & ab omni erroris suspicione libera ut vidimus prodidit: tum Romæ in conspectu Sedis Apostolicæ, supremoque in rebus fidei ac morum Tribunalî gravissimorum eitorum Pelagianismi & Semipelagianismi innumeris adversæ partis machinis & artibus postulatur: Primi in Lusitania, Hispania & Romæ Bannesiani fuerunt, qui eam in jus vocarunt, qui accusarunt licet tot Academiis & Religiosis Ordinibus probatam, qui Actoris partes sustinuerunt, & damnationem ac extra fines orbis li-

terati proscriptionem illius modis omnibus usurpant. Nihilominus post tot Congregationes, Examina, & contraria etiam Consultorum plurium suffragia a supremo in terris Judice Sacro summo Pontifice concessum est, ut omnis doctrina Molinæ (atque ita etiam Societatis, quamvis hæc non omnem Molinæ doctrinam, prout ipse explicat, propriam sibi fecerit) indemnis persisteret, & Societas in possessione dogmatum suorum quieta permaneret, eximereturque ab omnibus sinistris censuris atque injuriis. Jam vero certa est, & apud omnes civitate donata Juris Regula: *Actore non probante reus & vincit & absolvitur.* Quis autem sanæ mentis ab Actoribus Bannesianis in Judicio probatum fuisse credat, doctrinam Molinæ ac Societatis S. Scripturæ contrariam esse, SS. Patribus præseriūm Augustino & Thomæ aperte contradicere, Pelagianismum & semipelagianismum sapere; immo hæreticam esse; & nihilominus a Summis Pontificibus Clemente VIII, Paulo V. & Successoribus non tantum non fuisse damnatam & proscriptam, sed impune ac centum & quinquaginta annis ad hæc usque tempora doceri permissem? Audire juvat satis recens documentum. Benedictus XIII. ex Illustrissimo Prædicto-

catorum Ordine ad Pontificiam sedem  
elevatus Decretum edidit an. 1724. quo  
Thomistas laudabiliter hactenus sententias  
suas de gratia per se & ab intrinseco  
efficaci ac de gratuita prædestinatione  
ad gloriam sine ulla prævisione meritorum  
docuisse asserit utpote, quas ab ipsis San-  
ctis Doctoribus Augustino & Thoma se-  
lausisse, & Verbo Dei, summorumque  
Pontificum & Conciliorum decretis &  
Patrum dictis consonam esse ipsorum sebo-  
la commendabili studio glorietur. Aliquot  
annis post fata Benedicti, videlicet 1733,  
2. Octobr. Clemens XII. aliud Breve Apo-  
stolicum in lucem dedit, quod videre est  
in Bullario Romano (e) quodque incipit:  
*Apostolicae providentiae beneficio.* In hoc  
ita loquitur: Mensem tamen eorundem  
Prædecessorum nostrorum (scilicet Cle-  
mentis XI. & Benedicti XIII.) compertam  
habentes nolumus aut per nosras, aut  
per ipsorum laudes Thomisticæ scholæ de-  
latas, quas iterato iudicio nostro com-  
probamus & confirmamus, quicquam est  
detractum cæteris Catholicis Scholis di-  
versa ab eadem in explicanda divinæ gra-  
tiæ efficacia sentientibus, quarum etiam  
erga hanc sedem præclara sunt merita,  
quo minus sententias ea de re tueri per-  
gant,

gant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in bujus Almae urbis luce docuerunt & propugnarunt. Igitur ex evenitu, ut dixi, optime & citra omnem dubitationem probatur, immo patet, in hac summi momenti controversia victoriam penes Molinæ Concordiam & Societatis doctrinam absque omni adulazione, aut inani jactantia stetisse ac stare etiamnum. Atque hæc, quæ hucusque commemoravī, qua potui fide collegi e vastis duobus Tomis Historiæ Controversiarum de Divinitate gratiæ auxiliis a Theodoro Eleutherio seu Livino de Meyer S. J. Theologo conscriptis, non inconsulta tamen adversarii Augustini Le Blanc, seu Fr. Hyacinthi Serry Ord. Præd. Theologi Historia. Meretur autem Livinus apud quemvis æquum rerum æstimatorem fidem profecto maximam, *in primis* enim, quæ ipse in medium profert, tum e Tabulis Authenticis tum e Criticæ placitis manifeste probat. *Dein* Adversarium in historia sua concinanda commercii cum Jansenistis & præcipuis eorum Capitibus, ex literis jussu Regio Bruxellis interceptis in Præfatione sua aperte convincit. *Denique* ostendit, eundem scriptorem pleraque historiæ suæ documenta desumptissimæ ex actis nomine Francisci Pe-

gnæ,

gnæ, & Fr. Thomæ de Lemos in lucem datis, quibus tamen Innocentius X. Pontifex edito die 23. April. 1654. decreto *nullam omnino fidem adhibendam esse declaravit.* Plura de tota Controversia ex Instituto in lucem protuli alio in libro, cui titulus: *Ingenua Indoles Scientiæ mediæ, Probabilismi, & Gratiae efficacis, cum animadversionibus Historicis, Criticis & Theologicis,* typis vulgato anno 1759.

## §. X.

*Controversia de Probabilismo.*

## CXXVII.

**N**efas foret dissimulare hanc Controversiam, quæ jam olim, & nunc vel maxime, tantis partium studiis, tantoque strepitu est agitata, ut totam Europam, & quod ultra est, velut immanterræ motu concussam crederes. Ut rei totius, de qua agitur, cardo ante oculos ponatur, reflectendus est animus ad geminas propositiones a Summis Pontificibus circa morum doctrinam damnatas, e quibus intelligere licebit, quis hoc in negotio Ecclesiæ Catholicæ sensus sit. Alexander VIII. an. 1690. 8. Decembr. damnavit

navit hanc propositionem numero tertiam: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Innocentius vero XI. an. 1679. 2. Mart. Istam itidem numero tertiam: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* En! duo velut extrema, duosque cardines in opinionum probabilium usu. Quidam quos *Rigoristas* aut *Tutioristas* appellant, ab omni specie probabilitatis quantumvis magnæ aut etiam maximæ abhorrentes ubique id, quod tutius est, sequi oportere, quantumcunque probabilis foret opinio contraria, magno cum strepitu contendebant. Alii quos *Benignistas*, aut *Laxos* seu *Laxones* dicunt, nimium quam par est fræna laxantes conscientiæ ad actionis licentiam plus non requiri docuerunt, quam opinionis probabilitatem aliquam, licet tenuem & exiguum, unde unde demum illa accerseretur, sive ab auctoritate sive a ratione, verbo probabilitatem adparentem. Priores peccarunt rigore, posteriores benignitate: utrique a via media ceu regia, quam omnis virtus moralis tenet, seu aberrarunt ad dextram, seu ad sinistram declinarunt: utrorumque do-

ctrina a summis Pontificibus tanquam noxia, & disciplinæ morum inter Christianos inimica damnata fuit. Præter hos aliae sincerius opinantium classes in lucem prodiere: una est *Probabilioristarum* seu illorum, qui non quidem tutiora ubivis eligenda esse censem, bene tamen ea, quæ sunt probabiliora: altera est *Probabilistarum*, quæ omni probabilitati, modo vere ac theologice, & comparate talis sit, & intra debitos constricta limites (e. g. ne sententia legi certæ, aut principio certo, pacto, vel censuræ publicæ &c. adversetur) locum concedunt tunc, quando solum de actionis licentia agitur. Prima classis aliquantum deflere videtur ad unum rigoris extremum, de quo dixi; secunda vero ad alterum benegnitatis extremum: in æquilibrio tamen, ut ita dicam, posita neutra istorum sententia a Summis Pontificibus censura est unquam notata, aut Vaticano fulmine tacta, quamvis teste P. Gabriele Daniel (d) Innocentius XI. fere toto, quo Ecclesiæ clavum tenuit, tempore opportune importune urgeretur, ut doctrinam & propositionem istam: *Licitum est sequi opinionem minus probabilem, quæ verisit probabilis, condemnaret, nunquam tamen*

(d) In epist. 3. ad Alexandrum Natalem.

tamen audita litigantium utraque parte, omnibusque probe discussis exorari se passus est, ut id ageret, & adversantium zelo patrocinaretur. Neque ulla hucusque Pontificum fuit, qui posterioribus etiam & nostris temporibus, quibus ad summum fastigium pervenisse visa est hac in re quorundam criminandi libido, eo induci se permisit, quamvis plurimas alias propositiones singulares, ac opiniones seu justo rigidiores seu laxiores jure merito e regno conscientiae ac morum doctrinæ proscripserint & condemnarint. Non equidem me latet, esse Thomistas aliquos, præcipue Fr. Danielem Concina, Ord. Præd. qui dicere non vereantur, sententiam benignam fuisse sæpius a Summis Pontificibus damnatam. Sed ubi testes, ubi tabulæ? Forte, quia damnarunt aliquas propositiones, quæ circa singulares casus versantur? (ecce artem satis illiberalern argumentandi a specie ad genus) vel quia damnarunt propositionem aliquam generalem, in qua continetur probabilismus? (ecce crimen falsi) Non primum. nam ex eo, quod aliqui ex principio vel male intellecto, vel perperam applicato opiniones & scientias quasdam minus sobrias & censura notatas protulerint, nulla ratione sequitur, ipsum prin-

cipium & fundamentum esse damnatum, nisi velimus ipsam S. Scripturam & SS. Patrum doctrinam circa multa damnare, quum iis abusi quamplurimi vel per malitiam vel per ignorantiam damnatas propositiones & integras hæreses inde derivarint. Non secundum: adferant enim in medium, si talem aliquam propositionem generalem sciant, ubi damnatus sit probabilismus genuinus & hæc propo-  
*sitione: Licitum est sequi opinionem minututam & minus probabilem, quæ tamen vere, theologice ac comparative probabilis est, relicta tutiore ac probabiliore?* Duas propositiones generales, ut dixi in negotio hujus controversiæ damnatas est invenire: Formemus ex illis hoc enthymema: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probatissimam: &, generatim licere sequi opinionem quantumvis tenuiter probabilem, utraque propositio est damnata: ergo opinio minus quidem, vere tamen, theologice ac comparative probabilis est damnata.* negabunt omnes Logici consequiam, utpote plus in conclusione, quam in præmissa positum erat, inferentem. Longe melius & scholæ placitis confor-  
mius licebit sic argumentari: Secun-  
da propositio damnata dicit: *gen-  
eratim,*

*ratim, & propositionem quantumvis te-*  
*nuem sequi licere: at genuinus probabi-*  
*lismus neutquam docet, generatim lice-*  
*re, dum excipit Judicem, Advocatum,*  
*Medicum, Ministrum Sacramentorum &c.*  
*neque docet, propositionem quantumvis*  
*tenuem, sed vere, theologice, ac com-*  
*parate probabilem sequi licere: ergo ge-*  
*nuius probabilismus per hanc damna-*  
*tam propositionem non est damnatus.*  
*Conclusio est in forma. Ex his, ut opi-*  
*nor, fatis clare patet in primis: æque in*  
*Ecclesia Catholica tolerari doctrinam il-*  
*lam, quæ ut licite agatur, opiniones pro-*  
*babiliores, quamvis minus tutas, ample-*  
*cti nos posse docet, quam eam, quæ*  
*opiniones etiam minus probabiles, modo*  
*vere tales sint, sequi nobis licere profi-*  
*tetur, quum utraque in præcipuis Scho-*  
*larum exedris, & a Theologis præstan-*  
*tissimis impune nec reclamante Ecclesia*  
*tradatur, quam utique non conficiunt ii*  
*soli, qui tam aperta licentia, nec ad*  
*aliud, quam ad fidelium scandalum ser-*  
*viente, in partem sibi adversam decla-*  
*mant.*

### CXXVIII.

Jam ut ad originem hujus controver-

sie deveniamus, post Dominicum Soto

& Bartholomæum Medinam, gravissimos  
Theologos ex Ordine Prædicatorum, qui  
seculo XVI. floruerunt, quique præ ca-  
teris doctrinam probabilitatis cœperunt  
excolere (antiquiores enim plerique da-  
tis ad singulares casus responsis contenti  
erant) cuncta integro pene seculo satis  
pacate ac quiete agebantur, dum eam  
multi alii gravissimique Theologi pluri-  
bus annis, uti postmodum patesciam,  
impune cum sancta quadam simplicitate  
professi sunt. Verum ubi Jansenistica se-  
cta in Galiis potissimum & Belgio caput  
extulit, magnum in discrimen adducta  
fuit. Quum enim Jansenistæ probe cer-  
nerent, quin & sentirent, Societatis Theo-  
logos eorum conatibus se velut murum  
pro Ecclesia Dei opponere, atque e latibu-  
lis perversa eorum dogmata magis ma-  
gisque in lucem protrahere, odium ac  
furorem diu animo conceptum tandem  
in universæ Societatis nomen, famam,  
ac doctrinam pleno alveo effuderunt.  
Quare quum ipsi magni cujusdam rigo-  
ris externi, ac sacræ Disciplinæ Eccle-  
siasticæ pallio gravissimos errores suos  
obtegerent, ut his apud vulgus reveren-  
tiam conciliarent: nostri vero præter  
alios Viros & scientia & dignitatibus  
Ecclesiasticis summe conspicuos latens vi-  
rus

rus & hypocrisim detegerent, id consilii Jansenistæ inierunt, ut multorum e Societate benigniore doctrinam noxiæ libertatis & morum corruptelæ palam accusarent, atque convitiis, cavillationibus, contumeliis, omnique confictarum criminationum genere in Orbis Christiani conspectu qua libris qua schediasmatis male cohærentibus sine fronte ac sine pudore proscinderent. Inter hos facile eminebat Blasius Paschalis qui nomen Ludovici Montaltii sibi adsciscens *Literas Provinciales* male fausto partu in lucem edidit, quas amici ejus, ut Jesuitarum nomen & doctrinam latius adducerent in invidiam, Jansenioque simul & Arnaldo gratiam facerent, in varias linguis, nempe præter Gallicam, in Latinam Hispamicam & Italiam transfundendas curarunt. Sunt illæ ad histrionicæ artis apices omnes elaboratæ, facetiis & salibus non minus quam innumeris mendaciis refertæ, quibus in morum doctrina gravissimis piissimisque Auctoribus absurdissimas & abominandas sententias ac opiniones velut ab iisdem prolatas adtribuunt, de quibus ne cogitationem ullam in mentem suam illi admiserunt. *Jesuitas igitur* scribit Montaltius (e) quam

Eee 4

pri-

(e) Epist. 5. Edit. Coloni. pag. 98.

primum adito me Auctore : hoc spondes futurum, ut in illorum morali Disciplina tam corrupta, tamque lutulenta Molinisticæ de gratia doctrinæ fontem reperias. Videbis stupendam Christianæ virtutis ignorantiam; videbis pro vera solidaque virtute nescio quæ tantum circumferri simulacra virtutum, spiritu ac sensu, id est, charitate caretia, videbis innumera crimina quæfisis prætexi coloribus: videbis innumeræ morum labes ignava quadam indulgentia tolerari &c. Caro tamen stetit Montaltio & Sociis labor iste. nam liber Epistolarum tum ob cavillandi impudentiam, tum ob contentos in eo Jansenianos errores damnatos auctoritate Ludovici XIV. Galliarum Regis ac Regii Senatus Consulto an. 1660. 14. Octobr. publice carnificis manu Parisiis Vulcano traditus est, quod Senatus Consultum integrum refert Alfon-sus de Sarasa (f) Romæ vero ab Alessandro VII. 6. Septembr. 1657. condemnatus est, & legi ac retineri prohibitus, eodem teste Auctore Synchrono. Hunc ipsum librum seu literas Provinciales notis illustravit, si fas est ita loqui, Guilielmus Wendrochius, sub ficto hoc nomine latens Petrus Nicole Theologus Gallus,

(f) Tom. 2. Tratt. 4. §. 3.

lus, Montaltii familiaris, sed fere audacior. Hic in memoratis notis (g) *probabilitatis doctrinam inanes cavillationes esse asserit*; flagitiose ac audacissime eam defendi; hoc *probabilitatis dogma tantum virus esse*, ut omnem pene *Theologiam infecerit*. alibi (h) *Tam late fundantur ait scelerati dogmatis rami*, ut in totius religionis aperte graffentur exitium, & in omnium denique religionum horrendam permixtionem tendant. Verum hæ Wendorchii notæ parem cum Montaltii literis sortem ac poenam Parisiis subiere, nempe quem merebantur, rogum. Elevare quidem conatur Montaltii & Wendorchii probrum, & Tribunalis Regii iudicium Fr. Daniel Concina, nescio quoductus miseratione, certe more suo satis artificiose, contendens epistolas illas anathemata & flamas fuisse expertas solum propter Jansenii doctrinam in iis contentam, cætera immunes ab aliis crimibus esse deprehensas. ait enim (i): *Janseniano fermento potissimum quatuor primas (epistolas) inquinatas esse compertum. Violatae quoque sinceritatis in casui-*

(g) *Ad Epist. 5. Sect. 1. §. 1. & Sect. 2. §. 3.*

(h) *Sect. 3. §. 5.* (i) *Theol. Christ. Tom. 2. Dissert. 1. c. 3.*

casuistarum textibus refellendis postulatus Paschalis fuit; at peracto per mensem examine nihil imposturæ, ad hoc quod attinet, repertum est. Ita rotunde Fr. Concina. Sed aliud loquitur Senatus Consultum, quod ut dixi, Sarassa integrum refert. Inter alia, inquit illud, *damnatas ab Ecclesia hæreses sustineri ac defendi tum in prædictis Montaltii literis, & notis Guilielmi Wendrochii, & Pauli Irenæi; detractionem vero & petulantiam adeo familiarem esse tribus illis Auctori bus, ut non parcant ulli hominum generi, non ipsi supremo Pontifici, non Regibus, non Episcopis, non præcipuis regni Ministris, non facultati Theologicæ Parisiensi, non Familiis Religiosis, & prædictum librum dignum esse pœna a jure decreta in libellos NB. infamatorios, & libros hæreticos.* Nihil heic legitur de examine per mensem peracto circa malam fidem in referendis Casuistarum textibus: geminæ adducuntur cauſſæ damnationis, gemina delicta, scilicet quod contineant hæreses Jansenii, & quod adeo petulantes sint in infamandis summis Principibus & aliis, atque etiam Religiosis Familiis: quam ipsam ob cauſſam novissimo decreto Romæ anno 1761. ad ignem damnatæ fuerunt. Primum negare non potuit

potuit Concinia; alterum fateri non erat  
e re sua & aliorum, pari licentia in Pro-  
babilismum & Jesuitas, ut videbimus,  
declamantium. Quid igitur consilii? aliud  
quid substituit, de quo nulla mentio fa-  
cta est; qua fide? parum refert. Cæte-  
ra egregiam Montaltio & Wendrochio  
operam navavit Theologus quidam Hi-  
bernus, & Doctor Lovaniensis Joannes  
Baptista Sinichius in libro, cui titulus:  
*Saul Ex-Rex* (k) ubi probabilismi do-  
ctrinam *Libertinis summopere arridentem*,  
*Ecclesiasticæ disciplinæ non tam insidian-*  
*tem quam insultantem proclamat: Aucto-*  
*res vero eam docentes laxitatum præco-*  
*nes & buccinatores, cæcos & duces cæco-*  
*rūm, denique seductores Christianorum esse*  
*criminatur. Ita in benignam sententiam*  
*eiusque patronos desæviunt Jansenii di-*  
*scipuli, hisque affines, e quibus tres so-*  
*lum heroes, ac tria specimina heic pro-*  
*duxi: sunt alii plurimi, sunt plurimæ allæ*  
*calumniæ, toti orbi literato notæ. Quid*  
*mirum?*

### CXXIX.

Sed quod mirere, non defuerunt nec  
desunt etiamnum Doctores quidam Ca-  
tholici, qui omnia undique corradunt ad  
detur.

(k) *Lib. I. c. 94. & 98.*

deturpandam probabilismi doctrinam, & famam ejus fautorum denigrandam. Audiemus Vincentium Contensionum Ord. Præd. (1) de doctrina probabilitatis ita loquentem: *Manifestum esse*, ait in Proœmio, *advenisse tempus illud ab Apostolo prænuntiatum*; quo *hominibus sanam doctrinam non sustinentibus*, & ad sua desideria magistros prurientes auribus sibi coacervantibus fons Probabilismi apertus est: unde tot aberrationes, tot doctrinæ moralis flagitia scaturierunt, & innumeræ indies scaturiunt. Nominat ibidem corruptelam, pestiferum venenum, licentiam paucis lustris invectam, sed indies ad Christianæ pietatis excidium & Catholici nominis dedecus grassantem. Porro capite primo pergit: at contra veri S. Thomæ discipuli, tanti Doctoris vestigiis a SS. Patribus designatis inhabentes huic novitati capitaliter adversantur; quin credunt, hoc novo probabilitatis commento lascivientibus ingenitis ad depravandam Evangelii castimoniam laxissimas habenas remitti, ruinam Ecclesiastice disciplinæ imminere, tantamque in Theologia stragem edi, ut quomodo cum eo Romanæ Ecclesiæ fides, pietas, disciplina consistere possint, omnino non videant.

(1) In Theol. mentis & cordis lib. 6. Dissert. 2.

deant. Alloquens subin Probabilistas cum  
gemitu exclamat: *Cur novellæ probabi-  
litatis contagio non jam portiunculam  
tantum, sed totam pariter Ecclesiam com-  
maculare conati estis? ad delendam Præ-  
latorum potestatem tollitis peccata mundi;  
ad invebendam & firmandam vestram au-  
toritatem nova in dies peccata in mun-  
dum invehitis, Confessarium vestris pro-  
babilitatibus adversantem sine misericor-  
dia damnatis . . . & alibi: Probabilis-  
mus est omnium fons peccatorum, Eccle-  
siae & Evangelii dogmata evertit, & est  
borrori; bæresi favet &c. Eodem in  
Opere suo Theologico idem Auctor (m)  
cum arbor bona, inquit, non possit malos  
fructus facere, tunc incipiunt homines  
cordati de probabilitatis nedum veritate,  
sed etiam probabilitate dubitare; cum ex  
ea illas videant spurcitas sine modo de-  
fluere, ad quos infernus borrescat. . . .  
*Quis non abhorreat a prætensa probabi-  
litatis securitate, qua admissa innumeræ  
nefandorum scelerum immanitatem, infini-  
tæ spurcitarum turpitudines honestantur?*  
. . . una probabilitate freti (scilicet  
probabilistæ) sanctissima quæque Evange-  
lii dogmata perverterunt, eamque morum  
disci-*

(m) In Novello Probabilitatis commento c. 1.  
Specul. 2.

disciplinam in Ecclesiam invehere conati sunt, quæ Turcis & Ethnicis non omnino corruptis offensioni foret . . . . Nec sine singulari Dei providentia judicio Probabilistæ in tam borrenda inciderunt opinionum portenta, in quibus tam manifesta rationis depravatio apparebat, ut omnes non omnino stupidi monerentur &c., quam demum periculose se turbidis Probabilismi comittant fluentis, quamve temere se horum Rectorum permittant ducatui, quibus rusticæ & mulierculæ judicii corruptione præstant. . . . Nam ut elegantibus Tullii verbis utar, prorsus consequentia tenetis, Probabilistæ, sed ita falsa sunt ea, quæ consequuntur, ut illa e quibus nata sunt, vera esse non possint. Et quia de Tullio mentio occurrit, erubescant Probabilistæ ethnice loqui, postquam Tullius Christiane & Theologice locutus est . . . Qui enim, ut ait Augustinus (n) ista non dolent, non est in eis charitas Christi, qui autem etiam de talibus gaudent, abundat in eis malignitas Diaboli. Mirabuntur hanc, quotquot legent, hominis Religiosi declamationem adversus probabilismum, quem tot insignes ejusdem secum Ordinis Theologi docuerunt & cum Soto ac Medina probabilismi fontem aperuerunt, totque alii etiamnum do-

cent permittente Ecclesia, immo prohibente omnes censuras, cavillationes, & convitia. Ne autem forte credamus, eum ita detonare in probabilismum vagum & exlegem, qualem & Schola Societatis semper detestata est cum præclaris illis, de quibus dixi, Thomistis, e quibus illum hausit, capite secundo conceptis verbis loquitur de doctrina Jesuitarum, quin & (o) *laxissimam*, inquit, *illam modernorum Casuistarum sub specie probabilitatis licentiam e fontibus Scientiæ Mediæ* (cur non etiam *Prædeterminationis Physicæ?* quam tot sint Thomistæ, qui probabilismum sunt professi?) *pomanare, nec esse mirum, quorundam Etbi-cam & Theologiam moralem dissipare legem Christi, quorum Theologia specu-lativa gratiam Salvatoris evacuat.* Ha-  
ctenus Contentio.

Huic non multum inferior est Joannes Baptista Gonetus Ord. Præd. dum (p) Probabilismum novorum Casuistarum do-gma adpellat, *cujus tantum est virus* (recoquit crambem & verba Wendro-chii) *ut omnem pene Theologiam Mora-lem infecerit:* appellat *intolerabiles no-vorum Casuistarum laxitates:* vocat pro-  
*babi-*

(o) *L. 2. c. 2. (p) in Clipes Thomisticos. Dissert. Thesl. 4. 2. §. 4.*

babilitatum monstra: meram divinorum  
præceptorum elusionem: vocat artem cum  
Deo cavillandi: probabilitatum præstigias  
&c. & ut intelligamus, contra quos agat  
Gonetus, citat fere solos Jesuitas præter  
Caramuelem. Natalis Alexander Ord.  
Præd. ut videre est apud Gabrielem Da-  
niellem (q) passim traducit probabilitatis  
doctrinam, & aliorum Theologorum no-  
mine (quinam isti?) quasi rogatus erum-  
pit in amarissimas contra illam querelas,  
*quod sit falsa, perniciofa, certissimus fons,*  
*unde crimina omnia scaturiunt: plenam*  
*doloris rem esse*, videre Suarezios, Vas-  
quezios, Azorios, Laymannos, Soc. Jes.  
Antesignanos Doctores banc doctrinæ la-  
bem pestemque defendere. Ut alios præ-  
teream, Fr. Daniel Concina Ord. Præd.  
paucos ante annos in Probabilismi nego-  
tio tantum excitavit strepitum per Ita-  
liam, quantum nec Hannibal ante por-  
tas. Nolim heic excutere omnes illius  
Tomos, quos scripsit, ubique refertos  
cruentis indigne lacerati Probabilismi ve-  
stigiis. Duo duntaxat specimina in me-  
dium adferam. Tomo secundo (r) ait:  
*Demonstratum est, quod novum ac va-*  
*gum istud systema repugnet rationi ac*  
*fes-*

(q) Epist. 2. (r) Differt. 5. c. 5. della Storia  
del Prob. e del Rig.

*sensui communi, nocivum sit sacerdotio, & Imperio, infallibilitati Pontificiae, auctoritati supremorum Principum ac Theologorum: quod sit vicinum Jansenismo, quod reddat Jansenistas obstinatos, uti & alios hereticos: quod aperiat viam ad omnes sectas, atque omnes homines in quaunque religione salvos faciat: quod constituat honestatem morum, & malitiam non in aliqua realitate, nec in difformitate aut conformitate cum lege aeterna, sed in meritis opinionibus mentalibus, & virtutes faciat esse nonnisi entia rationis: quod tollat e mundo peccata ignorantiae, atterat fundamenta timoris & humilitatis, & fovendo ambitionem ac superbiam disponat ad tremendam quandam cæcitatem: quod exaltet hominem ad dignitatem supremi Legislatoris, in gradu libertatis a Deo independentis collocet, immo illum reddat ipso Deo potentiores. (adeoque pejorem Lucifero, qui solum similis Altissimo esse cupiebat) Atque has pulcherimas, quibus probabilissimum hic Auctor insignit, notas vocat sincera & nativa hujus doctrinæ lineamenta. Alterum specimen exhibet Tomo primo *Christianæ Theologiae* suæ, e quo brevitatis studio solum resero, quæ habet in Indice*

(s) *Probabilismus a via Evangelica abducit*; *Probabilistæ cum hereticis conveniunt*: *Theologiam corrumpunt suis distinctionibus*: *suis principiis morum Theologiam evertunt*: *adversa sunt eorum principia principiis Christi*; *novum genus beatitudinis extra legem Dei comminiscuntur*: *omnem regulam justæ interpretationis S. Scripturæ violent &c.* Et ne dubitare possimus, in quorum gratiam hæc scripsiterit, ipse d'igo monstrat passim in suis libris præter Caramuelem & paucissimos alios non adeo magni nominis Auctores, fere solos Jesuitas, certe ultra triginta, quorum doctrinam moralem cynice traducit, neque ipsi Suario, Thomæ Sanchezio, Lessio, Azorio, Card. Lugoni, Vasquezio, Valentiae, Segneri, doctrinæ ac virtutis spectatæ Viris atque Theologis parcit, quorum uti & aliorum Auctorum sententias (quemadmodum ipse fatetur, vel potius fateri coactus est in *Declaratione ac sincera Protestatione*) falsas, scandali plenas, erronea commenta, paradoxa immania, anti-Evangelica passim adpellat. Deus bone! quæ tempora vivimus, an Cyclopia? an talia, quibus in arena literaria stipitibus duris, sudibusque præustis certatur?

CXXX.

(s) *Verbo Probabilismus.*

CXXX.

Quod Montaltius, & Wendrochius, aliquique Jansenistæ, & his affinis Sinnichius tam contumeliōse scriperint, non miror, partim quia hic omnium sectarum semper genius & spiritus fuit, partim quia male secum fuisse actum a Jesuitis credebant, extrahendo e latibulis eorum errores, technas, & frudulentas doctrinas, ex quo fonte, scilicet odio plus quam vatiniano, manarunt pene innumeri canticos contumeliis ac mendaciis pleni, quin integri libri adversus Molinistas, ut vocant, vix unus adversus Thomistas. At quod quidam, in eodem S. Matris Ecclesiæ gremio quiescentes, & quidem nullis lassiti injuriis nec provocati talia scribant, & publicis typis vulgent diversis in regionibus, etiam in Almæ Urbis conspectu, hæc sane non tam indignationis, quam doloris res plena est, quin & scandali apud bene moratos, qui majorem charitatem Christianam, non dico Religiosam, desiderant. Sed quo jure hæc fiant, modo quam brevissime examinandum est. *Primo*, Callidum non minus quam iniquum est partis adversæ artificium, quo in libris & scriptis suis adversus Probabilismum omnem fere hujus doctrinæ invidiam in Jesuitas exonerant, ac si propria & domestica

foret, itaque per eos propagetur, ut totus mundus subito Probabilistam se miretur, velut olim Arianum. Quam autem a veritate alienum hoc sit, facile colligi potest ex responso, quod teste Gabriele Daniel (t) Patres Societatis in Generalibus Comitiis Romæ Congregatis Innocentio XI. Pont. Max. dederunt. Hie enim, quem aliqui vehementer & impotune urgebant, ut benignam sententiam proscriberet, sciscitatus est ab his Patribus, verane esset fama, quæ circumferretur, eam doctrinam a Societate velut propriam haberi ac propugnari? At illi protinus communi suffragio responderunt, tantum abesse, ut doctrinam istam sibi propriam existimet Societas, ut potius plena Theologis suis libertas concessa sit, contrariam quoque sententiam amplectendi, aliorumque scholarum & Doctorum Catholicorum placita sequendi: cetera paratos se esse, ut quamprimum S. Sedes decideret quidpiam hoc in negotio, in ejusdem verba jurarent. Qua de re existat in Instituto S. J. typis impresso Decretum 18. Congregationii XIII. sub eodem Pontifice convocatae: *Cum relatum fuisse ad Congregationem, aliquos in ea esse persuasione, quod Societas communibus quasi*

(t) in Epist. 2. ad Nat. Alexandr.

quasi studiis tuendam sibi sumpsisset eorum  
Doctorum sententiam, qui censem in agen-  
do licitum esse sequi opinionem minus pro-  
babilem relictâ probabiliore stante pro-  
præcepto, declarandum censuit Congrega-  
tio, Societatem nec prohibuisse, nec prohibi-  
bere, quo minus contrariam sententiam  
tueri possint, quibus ea magis probaretur.  
Et re ipsa fuerunt ac sunt non pauci e So-  
cietate nostra, qui rigidorem sententiam  
libris in lucem datis publice profitentur:  
*Antonius Celladeus seu Michael Elizalde*  
Hispanus de recta morum doctrina, qui  
hinc & inde vehementius quam par erat,  
benignæ sententiæ irascitur: *Ignatius de*  
*Camargo* Doctor Salamanticensis in Re-  
gula honestatis moralis: *Paullus Comito-*  
*lus*, Italus in Consiliis seu Responsis Mo-  
ralibus: *Andreas Blancus* sub nomine *Can-*  
*didi Philaleti*, Tractatu de Opinione pro-  
babili: *Joannes Baptista Taberna*, Belga  
in Synopsi Theologiae Practicæ: *Thomas*  
*Muniesza*, Hispanus in stimulo conſcien-  
tiæ: *Thyrsus Gonzales S.J.* Generalis Præ-  
positus in Fundamento Theologiae Mora-  
lis: *Casparus Kümet*, Germanus in Magi-  
sterio Conſcientiæ: *Paullus Gabriel Antoi-*  
*ne* in Theologia Morali Universa: aliqua  
parte etiam *Christophorus Rasslerus* in  
Norma Recti: *Antonius Mayr*, Germa-

nus in *Theologia Scholaistica &c.* Inter  
 annos igitur fabulas recensendum est,  
 memoratam doctrinam ad civis sibi So-  
 cietatem tanquam communem & pro-  
 priam: magis autem illud, quod alii e  
 nostris illud probabilismi genus profi-  
 teantur, quod homines isti tanquam mon-  
 strum immane ingens ad invidiam facien-  
 dam depingunt, sed probabilismum so-  
 brium, gravi auctoritate ac ratione vere  
*Theologica* nitentem, quam *recentiorum*  
*omnium calculo & universali fere populo-*  
*rum usu confirmatum esse tradit Stephanus*  
*Spinula Congr. Somasch (u).* quam etiam  
*a sanctissimis & eruditissimis Doctoribus*  
*teneri ait Joan. Gabriel Bovyn, Mino-*  
*rita (x).* quam doceri ab omnibus, &  
*in toto orbe Christiano nihil magis de-*  
*cantatum dicit Joannes Angelus Bossius*  
*Cleric. Regul. de sui temporis Doctoribus*  
*loquens (y).* quam *communissimam esse*  
*& receptissimam sententiam in omni*  
*schola in hoc currenti seculo testatur Ma-*  
*strius magnum scholæ subtilis lumen (z).*  
*quam in Schola D. Thomæ floruisse*  
*affirmat Stephanus de Champs S. J. spe-*  
*cta-*

- (u) In pref. opusc. de prud. & liber elect. (x) in  
*Theol. Quadripart.* p. 3. D. 3. c. 1. q. 5.  
(y) in Tomo Moral. Varior. ad tit. 1. n. 2377.  
(z) Disp. 3. q. 2. a. 1.

statæ fidei & eruditionis Auctor (a), ita ut post Bartholomæum Medinam ex omnibus Thomistis, qui de hac materia egerunt, nullum vidisset sive in ipsorum libris sive in aliorum opinionibus citatum, qui negaverit fas esse opinionem sequi minus probabilem relictæ probabiliore: qualem in Academiarum facile principe Sorbona Isambertus (b) Gammachæus (c) Duvallius (d) Baillius (e) grandia Theologiæ decora publice professi sunt. *Secondo*, Fidem omnem excedit, qua fide quave fronte tam immanibus opprobriis & calumniis onerare probabilismi doctrinam audeant memorati Theologi, quum probe sciant, nec possint nescire, primos illius ut ita dicam Fundatores fuisse Ordinis sui Viros doctissimos Dominicum Sotum & Bartholomæum Medinam: fuisse ejusdem fautores itidem Ordinis sui præstantissimos Theologos, qui conceptis verbis docuerunt: *Licetum esse sequi opinionem probabilem, licet opposita probabilior sit: licere sequi opinionem practice probabilem relictæ probabiliore;* *Confessarium absol-*

(a) *In Quest. Facci.* (b) *in 1.2. q. 19. Disp.*

*9. a. 4. (c) in 1.2. q. 19. p. 155. (d) Tract.*

*de Act. hum. q. 4. a. 12. (e) in Trip. Exam.*

*Ex. 3. in Pref.*

*absolvere posse pænitentem sequentem opiniōnēm probabilem relictā sua opinione probabiliori.* Ita Medina, qui gravissimo urgente præcepto, quod illi Generalis Magister Ordinis Seraphinus Cavalli imposuit, *aureas*, ut vocant, in 1. 2. D. Thomae Expositiones in lucem edidit (f). Ita Didacus Alvarez (g). Ita Petrus Ledesma (h). Ita Dominicus Bannez (i). Ita Gregorius Martinez (k). Ita Vincentius Candidus S. Palatii Magister (l). Ita Joannes Ildephonsus Baptista (m), cum plusquam viginti aliis ex III. Ordine Prædicatorum. Quis obsecro inspectis his authenticis testimonīis non illico secum statuet, probabilismum, quem olim & nunc defendunt plurimi e Societate cum aliis gravissimis Doctoribus variarum scholiarum & Academiarum, velut ovum ovo simillimum esse illi (si laxiora aliqua Thomistarum excipias) quem antiqui & clari Magistri Ordinis palam docuerunt ac propugnarunt? Porro provocavit jam olim Gabriel Daniel (n) ad Natalem Alexandrum scribens: nullum Jesuitam

Theo-

- (f) *Tom. 1. q. 19. 4. 6.* (g) *ad 1. 2. disp. 80. n. 9.* (h) *Theol. Mor. p. 2. Tract. 7. c. 22. dub. 2.* (i) *in 2. 2. q. 10. 4. 1.* (k) *Tom. 1. q. 19. 4. 6. D. 6. c. 1.* (l) *Tom. 1. Disp. 3. 4. 30.* (m) *Tom. 3. de Consc. Disp. 208. dub. 7. n. 640.* (n) *in Epist. 2.*

Theologum posse ostendi, qui mendosam in re morali decisionem procuderit, ita ut non habuerit Duxem fere aut Comitem Doctorem aliquem Thomistam: provocavit inquam, sed responsum non tulit. Simili ratione Carolus Noceti Theologus Romanus in *Veritate vindicata*, ubi Propositiones Theologorum Societatis facile triginta partim mutilatas partim corruptas a Concinna, integritati suæ restituit, in Parte secunda operis ad finem producit centum & sexaginta novem propositiones, Dominicanorum, quas ipsas idem Concinna tam acriter reprehendit in Jesuitis, atque in morum Republica igne & aqua interdicit. Tertio, aliud occultum sub his omnibus artificium latet. Ajunt, se hisce suis declamationibus solum persequi, & merito detonare in vagum illum probabilismum, qui quidquid opinabile est, modo speciem aliquam probabilitatis præferat, licet esse vult, qua doctrina nihil magis abominandum, nullaque satis censoriarum hecatombe expiandum. atque hinc injuriam sibi fieri, si Societatis auctores in se suamque doctrinam hæc fulmina fabricata jaculataque conquerantur. Sed non patiar, quo minus larva detrahatur latenti sub hac

inepta excusatione nocendi consilio. Quæro, quis gravissime invehementur in vagum quoddam & nullius frugis Religiosorum genus, adpellando illos, uti tales re ipsa sunt, Religionis dedecus, morum pestem, pietatis excidium, Ecclesiæ Dei corruptelam, Evangelium evacuantes, abundantes malignitate diaboli, & quæ sunt alia. Post hanc autem præfationem longa serie, & bene multos adduceret certi Status Religiosi Alumnos, nomine suo quemque compellaret, & ipsorum facta, quamvis nihil horum mereantur, & neutriquam talia esse probentur, allegaret tanquam absurdâ & absurdissima: an talis censeretur solummodo in vagum quoddam genus Religiosorum, tam sancto nomine indignorum, an vero ex professo in certi cujusdam Ordinis Religiosi viscera grassari? Si quis Scriptorum hunc in se laborem susciperet, & Theologiam Christianam conscriberet, atque singula morum doctrinæ capita tum austoris Patrum antiquorum sententiis, tum lepidis admirationum, exclamacionum, episodiorum, interrogationum, apostropharum & subinde ironiarum figuris exornaret: postmodum vero præter paucorum aliquot laxiores doctrinas e triginta Dominicanorum antiquorum libris propositio-nes

nes probabilismum aperte sonantes, aut omnino centum & sexaginta novem, de quibus paullo ante dixi, reprehensione dignas subjungeret: demum adderet Dedicationem magnificam, qua supremum Ecclesiæ Caput gravissimis verbis adhortaretur, ut cæteris suis ornamentis hoc denique addat velut coronidem, & e christiana republica istam morum corruptelam, & abominanda doctrinæ portenta, has damnabiles sententias proscribat, evellat, & penitus eliminet; si quis inquam Scriptorum hunc in se laborem susciperet, (suscepit contra Jesuitas Fr. Concinus) quid diceret adversa pars? an contenta foret, si responderet ille, se vagum duntaxat & perniciosum probabilismum calamo suo persequi? sed parum solicii esse videntur illi, qui talia, quæ palam feci, scripserunt, de Fratrum & Doctorum ac Magistrorum suorum antiquiorum doctrina & fama: his tergum obvertunt, ut cum Jansenistis plurium Jesuitarum doctrinam blasphemare queant. Verum heic ingens clamor exortatur: amare conqueruntur cum Concinus, eos, qui probabiliora sequi oportere contendunt, ab adversa parte confestim Jansenistis per summam injuriam accenserit, ad quam propulsandam calamum stringe-

re ipsis necesse fuerit. Obscro, quis grande hoc crimen commisit? quis Probabilistarum aliquem, qui probabiliorismum defendendum suscepit, propterea Jansenismi postulavit? palam faciant illum, si possint. Putidum hoc figmentum est ad invidiam confandam. Hoc tamen ausim profiteri: si quis dixerit, ipsos hac in re scribendi methodo, stylo, & spiritu Jansenistis adprime familiari fuisse usos (ut cuilibet palam erit, si verba, sensus, expressiones &c. Scriptorum ex utraque parte conferat) eum a veritate parum vel nihil aberrare. Quis sibi persuadeat, in tam exulceratis animis veritatis, sanæ doctrinæ ac zeli bene ordinati studium habitare? quis fidem adhibeat, strictiorum ubique viam sectari oportere assentibus, & simul adeo dissolute acerbeque scribentibus? *Quarto*: Non minori artificio Adversarii doctrinam hanc, quam toti Societati perperam tribuunt tanquam propriam, tam dire exigitant, ac si Jesuitæ suaderent, & fidelibus persuadere totis viribus adlaborarent liberrimum benignæ sententiæ usum: quod quam a veritate alienum sit, testantur sacræ exedræ, in quibus Oratores sacri in vitia & pravos mores perpetuo detonant, viamque ad cœlum sane arctam demonstrant,

stant, ita ut adversus eos vix major querela sit, quam quod severe nimis cum Auditoribus agant, & conscientias eorum in angustias & scrupulos, plusquam par est, conjiciant: testantur tot libri spiritu pleni, de vita & moribus ad leges Evangelicæ perfectionis conformandis: testari possent sacra tribunalia, si loqui liceret ipsis, quam fortiter urgeantur pœnitentes, ut non solum peccata, sed & peccandi occasiones devitent, ut injuste accepta vel ablata missis inanibus excusationum titulis ac moris restituant, ut scandala & morum corruptelæ procul jarceantur: verbo, ut non solum probabiliora, sed & tutiora sequantur. Hæc suggeruntur fidelibus consilia, hæc suadentur a Probabilistis. Aliud longe est, si vel e scholæ cathedra, vel in libris scholasticis docendum ex officio, quid liceat, vel non liceat: si determinandum, an his vel illis in circumstantiis peccatum, & quidem non raro grave, committatur nec ne. Hac in re etiam Societatis Doctores Scriptoresque insignem D. Thomæ doctrinam sequuntur, quam tradit (o), ubi agit de pluribus præbendis, num eas habere sine dispensatione sit peccatum mortale, & sic ait:

*Respon-*

(o) *Quodlib. 9. Art. 15.*

Respondeo dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali queritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit.

## CXXXI.

Dicamus modo aliquid de re ipsa. Non enim heic in arenam deducere argumenta semper antiqua, & toties jam in utramque partem ventilata, quibus pleni sunt libri: mentem meam dontaxat aperiam. censeo enim, rei summam denique ad licitum in praxi usum opinionum æque probabilium esse reducendam, rejectis illis appendicibus *opinio magis probabilis*, *opinio minus probabilis*; *opinio notabiliter magis probabilis*, *opinio notabiliter minus probabilis*, quæ appendices nonnisi ad tricas scholasticas & dissidia, præser-tim apud rerum non intelligentes, in gravissimo conscientiæ negotio facienda natæ factæque esse videntur. Quid enim obse-

obsecro interest, an duæ sententiae invicem oppositæ, quando agitur duntaxat de licentia actionis, sint æque probabiles, vel an una earum paullo plus, altera paullo minus probabilitatis habeat, modo utraque vere, solide ac comparate probabilis sit, id est, gravi ac prudenti fundamento innixa, parique auctoritate firmata, ita ut in mutuo velut confictu inconcussa stet, nec vinci aut enervari queat? Hæc enim æstimatio & crisis de probabilitatis gradibus est innumeris difficultatibus obnoxia, & in ordine communis providentiae vix possibilis. atque hinc ut sapienter notant Medina, Suarez, Sanchez, Salas & alii, onus foret humanis humeris non ferendum, & cum perpetua animorum carnificina conjunctum. Nimirum eo immanis illa tempestas deserviit tot conviciorum, calumniarum, dilectorum, scomatum ac censurarum, quibus innocentem & a tot retro annis passim in scholis receptam doctrinam proscindere, multoque magis ejus patronos onerare non verentur, eo inquam res devenit, ut vani homines isti ad stateram examinare nos jubeant, quot granis, ut ita dicam, sit opus, ut justum probabilitatis pondus prodeat. Dein quam securitatem præstabunt conscientiae, quod re ipsa


ipsa probabilius sit opinio, quam talem esse censem, nec sit æque vel minus probabilis opposita? Quam proclive est in negotio libertatis contra legem tuendæ, ut quis probabilius credat id, quod libertati favet? quam difficile inter gradus probabilitatis, ut ita loquar, in linea ascendente ac descendente verum discrimen invenire? quam primum spectata ingenii nostri mobilitate ac persuasionum tanta quantum gustuum varietate, ut quod hodie probabilius, cras minus probabile appareat, & perendie fortassis æque probabile ac alterum? Et quis denique est, qui in ejusmodi rebus, in quibus mens humana certam se reddere nequit, blanditi sibi possit, ac certo secum statuere, adhibuisse se debitam ac sufficientem in discernendis gradibus, & æstimandis utriusque sententiae momentis diligentiam? Quot non occurruunt opiniones in utramque partem probabiles in conficiendis, administrandis, & percipiendis Religionis nostræ Mysteriis, ubi de licentia, non de valore agitur? quot in beneficiis Ecclesiasticis conferendis & obtinendis? quot in materia voti, jejunii, SS. Ordinum? quot in usu matrimonii? quot in contractibus & humano commercio? in his omnibus nisi certus fores de majore probabilitate unius

unius partis præ altera, quod ut plurimum sperari vix potest, juxta Senatus Consultum Probabilioristarum horum aut suspendere necessum foret actiones has omnes, aut præcise id, quod tutius est, cum gravissimo sœpe incommodo ac danno eligere. Dissimulare nec possum, nec volo latens rursus artificium horum, quorum memini, Casuistarum. Eorum doctrina hæc est, *primo* quod debeamus sequi opinionem probabilem in concursu minus probabilis. *Secundo*, quod inter opiniones æqualiter probabiles, si non una sit probabilior, teneamur sequi tutiorem. Jam quum, uti prius demonstravi, res difficillima sit, multisque fallaciis obnoxia, judicium ferre de majore vel minore probabilitate (nisi prorsus notabilis sit, de qua re statim sermo mihi erit) opiniones inter se pugnantes reducentur fere semper ad æque probabiles, atque ita secundum horum doctrinam fere semper & in omnibus dubiis oportebit sequi, quod tutius est. quippe si una opinio notabiliter magis probabilis sit, accederet ad classem probabilissimarum, quas sequi licere nemo dubitat: si clare & notabiliter minus probabilis, pertinere videtur ad classem tenuiter probabilium; certe immunis non est a periculo excedendi e-

finibus veræ ac theologicæ probabilitatis, atque ideo licentiam sequendi negat propositio tertia ab Innocentio damnata. Ex his satis clare patet Adversariorum latens, de quo dixi, artificium, quo sub specioso Probabiliorismi titulo *Tutiorismum* & *Rigorismum* jam diu sepultum denuo suscitare ac in lucem protrahere adlaborant, id quod non obscure etiam illorum argumenta, responsa, & loquendi modus penitus insipientibus palam facere videntur. Dicamus ergo Scapham Schapham: dicamus abscissis parergis: *Licitum esse* sequi opinionem vere, theologicæ & comparate probabilem, usque dum aliter S. Sedes definiat. Hoc certe minime tutum, minimeque probabile est, & contra obedientiam Pontificiis Mandatis debitam graviter peccandi periculo obnoxium, licere uti cavillis, censuris, dictariis, & quidem enormibus; ut nihil dicam jure naturæ ejusmodi esse prohibita, præsertim si cum dispendio famæ doctorum virorum, & integræ Communiatæ sint conjuncta. An forte credunt, summam Sedem non esse penitus informatam de tota controversia hac, postquam integro jam seculo tot jam libti in utramque partem fuerunt in lucem publicam editi? Cur ergo non relinquunt rem

rem summæ Sedis judicio, cuius est ferre sententiam, & quæ semper hucusque vigilans fuit tum condemnando propositiones singulares minus sobrias, tum prohibendo sub gravissimis pœnis censuras & convitia circa sententias adhuc inter Catholicos controversas? cur involant in jura & fulmina Vaticana, atque hæc, quum videant nihil hucusque se potuisse efficere, ipsi sua dextra in benignam sententiam torquent, cur in suis libris malefartis ut abominandam doctrinam exhibent, suisque censuris configunt atque condemnant? non est hic Spiritus Dei, non Christi, qui tanquam verus Samaritanus oleum vino miscuit, ut vulnera sauci generis humani eo certius ac citius curentur. Totam hanc controversiam pluribus illustratam animadversionibus exhibeo in alio jam memorato libro *de Ingenia indole Probabilismi* edito an. 1759.





## CAPUT IX. CRITICE THEOLOGICA.

### §. I.

#### *Querelæ justæ.*

#### CXXXII.

Totam Theologiæ Criticen in duas querelarum classes partiri visum est mihi, scilicet in eas, quæ non sine ratione ac fundamento Theologos quodam prement, tanti nominis famam nec quaquam impletentes; & hæ sunt justæ: tum in illas, quæ vel ex infiditia, & animi levitate, vel ex malitia & intollerabili quodam eruditionis fastu proficiscuntur; & hæ sunt injustæ. Ut a primis exordiar, sunt non pauci, qui vel alieno severè nimis de sacra scientia sentientium ductu sensuque, vel ingenii asperioris proprio quodam impetu aurum tenus se se immergunt Dialecticis artibus, quas *speculationes* vocamus, omnem eruditionem ab ipso statim Theologici studii limine dictatoria sane potestate proscribentes; perditum rati tempus, quocunque historiz

storiæ Ecclesiasticæ, Conciliorum notitiæ, ac sacræ antiquitatis æmulationi consecratur. Verum hi parum sobrie sentiunt & agunt. Nefas profecto est Theologo, passim rivulos sectari, & fontes ignorare, unde grandia sacræ doctrinæ flumina ortum duxere, Concilia inquam & Patrum antiquorum dogmata, utpote in quibus præcipuarum sane controversiarum, quæ hodie adhuc in scholis Theologicis agitantur, prima velut semina reperire licet, seu adversus hæreticorum impias machinationes in aciem prodire animus sit, seu sublimia religionis Christianæ mysteria, veramque Dei Ecclesiam, & fidei morumque doctrinam illustrare placeat. Non raro enim contingere solet, ut quo longius ab origine sua flumina provenhantur, eo pluribus misceantur, sensimque inficiantur sordibus, dum contra purius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Quid juvat subtile aranearum telas nectere ad muscas aliquot capiendas iis in rebus, quas gravissimis sententiis & publicis Conciliorum oraculis explanandas ac decidendas censuerunt antiqua Theologorum lumina? Quid juvat stipato agmine citare Patrum præclara dicta & dogmata, si nescias, ubi, quando, contra quos, quo-  
ye sensu ea in medium protulerint? Non

minus ea, quam Ecclesiasticam dicimus, historia faciem Theologiæ præferat necesse est, ut intelligat, quæ diversis seculis, ac temporum intervallis tum circa fidem doctrina tum circa mores disciplina viguerit; quæ sententiæ Pontificum auctoritate firmatae, quæ proscriptæ damnataeque; quibus præcipue scholæ mutuis inter se contentionibus collisæ fuerint: quis haeresum ortus, progressio, interitus: quibus armis eas debellaverit, deque illis triumpharit Ecclesia. Sane si per ordinem Concilia Oecumenica lustremus, præsertim quod extremis temporibus celebratum fuit, & omnium præcedentium gloriam rerum magnitudine, varietate, ac multitudine superavit, nempe Tridentinum, videbimus, quanta eruditione sapientiaque instructi ad ea ex Oriente ac Occidente se contulerint Viri; quam gravibus sententiis tum ex Scriptura sacra & Patribus, tum e prioribus Conciliis, & temporum antiquorum documentis proposicas summi momenti controversias dciderint; quod facere neutquam potuissent, si duntaxat argutias quasdam Theologicas, & natas recens in cerebro opiniones, distinctiones, ac subtilitatum cortices sine nucleo secum adulissent, maiestatis Theologiæ oblii: quamvis ubi opus erat,

erat, Dialecticæ gladium in vagina quietum esse non permiserint, sed fortiter vel adversus hæresum prava dogmata strinxerint, vel difficultatum nodos Gordios eo peruperint: solis tamen ideis Platonicis, sacræ Antiquitatis eruditione neglecta, Arijo, Pelagio, Nestorio, Calvino &c. neutiquam formidandos se præbniissent. Gravissimum sane hac de re testimonium præbuit Gregorius IX. Pont. Max. nam, uti refert Raynaldus insignis Annalium Ecclesiasticorum scriptor (p), edoctus quod in Universitate Parisiensi hac argutandi ac philosophandi ratio in Facultatem Theologicam plusquam par erat, nec sine dispendio majestatis Theologicæ, siveque doctrinæ per quosdam Doctores irreperitur, severum ac grave mandatum ad eam misit, in quo Theologiam ait Pontifex secundum approbatas Traditiones Sanctorum exponat Theologus, ne doctrinis variis & peregrinis abductus redigat caput in caudam, ne dum fidem conatur plus debito ratione adstruere naturali, illam reddat quodammodo inutilem & innam; ut sine fermento mundancæ scientiæ doceat Theologicam puritatem, non adulterans Verbum Dei Philosophorum figmentis, & conten-

(p) Tom. 3. ad an. 1231.

Ggg 4

tentus terminis a Patribus institutis vel fidem adstruat, vel mores informet. Absit ergo de cætero, quod pulcherrima mulierum a præsumptoribus fibio perunda oculos coloribus adulterinis furetur, & quæ suo sposo circummanica varietatibus, & ornata monilibus præcedit splendida ut *Regina*, consutis Philosophorum semicinctis veste sordida induatur. Eadem quæ Pontificem Gregorium ad præceptum hoc verbis adeo ponderosis imponendum Parisiensibus caussa impulit, Petro Lombardo Episcopo Parisino anteriore seculo circa annum 1058. animum injecit conscribendi quatuor illos famosos sententiarum libros. Dominabatur enim eo jam tempore in Scholis Theologicis sola fere ratio humana, atque Magistri ac cathedræ Moderatores subtilibus placitis & ratiocinationibus discipulorum aures & scripta impleverunt, ita ut ex iis, licet de corum sensu & veritate inter se minime convenirent, gravissimas de rebus divinis quæstiones explicarent, quæ tam humana ratione longe superiores erant. Hinc exortis non levibus, ut fieri solet, contentionibus non pauci, quemadmodum de antiquis Philosophis dicit Apostolus, evanuerunt in suis cogitationibus, & graviter aberrarunt, uti Gui- liel-

lielmus Porretanus, Abailardus Roscelinus, aliquique, qui ævo illo deserta veræ fidei semita in varios hæresum errores se aliosque præcipites egerunt. In rebus vero minoris momenti tota pene de verbis erat controversia; quisque ut suam tueretur opinionem, novas vocum & rerum definitiones excogitabat, inducebat novas, inutiles, aniles, ludicas quæstiones, adversariorumque argumenta in contrariam partem adducta subtilitate quadam magis eludere, quam solvere nitebatur. Gravissimæ de Religione quæstiones jacebant neglectæ: Scriptura, Traditione, Romanorum Pontificum & Conciliorum Decreta, Patrum sententiae, historia Ecclesiastica ignorabantur, vel si quid in eo genere proferebatur, ut plurimum erat apocryphum vel inani subtilitate depravatum: Criticæ, quæ postea tot errorum nebulas sua luce dissipavit, nullus erat usus. Quare Petrus Lombardus, ut sic aberrantes & evanescentes in suis cogitationibus ad viam veritatis reduceret, Theologicum opus illud ingenti animo adgressus est, in quo tot tricis eas opponeret auctoritates (nempe collectas Patrum sententias) quibus restagari nefas esset homini Catholico. Opus autem hoc tanto postmodum in

pretio haberi cœpit, ut ducenti quadraginta quatuor Theologi doctissimis illud Commentariis illustrare non dubitarint. Quare factum est, ut suppresso Rationis humanæ & Dialecticæ dominatu sensim pristinæ sedi in Theologia restitueretur sacra auctoritas, & exularet philosophandi subtilitas. Et utinam non identidem recrudesceret vulnus hoc. Avertat Deus ab Ecclesia sua necessitatem tam tristis experimenti, & faciat, ne egeamus unquam Viris in utraque palestra & crudita & speculatrice versatissimis, neve orare cogamur Dèum, ut sicut olim a Logica Augustini adhuc Manichæi, ita hodie a Theologia Sophistica nos liberet.

## CXXXIII.

Verum dum Sophistica procul est amandanda, intelligere desiderabunt aliqui, quid de Theologia Dogmatica, hodie tam omnium ore celebrata, sentendum sit. Circa hanc ut sine partium studio mentem meam aperiam, genuinos evitari oportere scopulos existimo. Sunt, apud quos nullo fere in pretio est Theologia Dogmatica, eamque aspernantur tanquam recens inventam, & quasi supposititium infantem a genuinæ Theologiae uberibus abstrahendum esse arbitrantur.

tur. Sunt, qui plus quam par est illam extollunt, & superstitionis quadam religione colunt, non sine insigni Theologiæ Scholaſticæ contemptu, ac si hæc nihil eruditio homine dignum contineret, & Reipublicæ Christianæ non solum iniutilis, sed noxia quoque foret. Utrique meo quidem iudicio peccant, posteriores excedendo limites rectæ rationis, priores vero a tramite veritatis deficiendo. Sed antequam certi quid hoc in negotio statuatur, operæ pretium erit, utriusque parti aures præbere. Itaque illi qui Theologiæ dogmaticæ aduersantur, hac ut plurimum utuntur ratiocinatione: Si rem ut est considerare velimus, nihil admodum deprehendere licebit in hac Theologia, quod non vel Politiva, vel Scholaſtica, vel Polemica, aut Moralis complectitur. Est enim Dogma Catholicum nil aliud, quam doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quamque licite ac citra censuram Doctores profitentur. Hæc vel *imperata* dicitur, dum ea docet, quæ cunctis fidelibus credenda proposita sunt, ita ut si his contradicant aut ea repudient, in hæreticorum numerum referri mereantur: vel *libera* vocatur, quando agit de rebus ejusmodi, quæ neque sunt de fide, neque in utramque partem fidei doctrinæ

doctrinæ nocumentum aut præjudicium adferunt, ita ut de his in Ecclesia Catholica cuilibet libera sentiendi docendi que sit facultas: vel *tolerata* nuncupatur, si nimis circa ea versetur, quæ quantumcunque dubia, non tamen fidem attingunt, neque adhuc doctrinam continent ab Ecclesia Catholica proscriptam damnatamque ut hæreticam, licet non raro contingat, ut succedente majori lumine fidei posteriore aliquo tempore damnetur ac proscribatur, qualis erat illa de non valido hæreticorum baptismo tempore S. Cypriani. Palam ex his est, Theologicam dogmaticam, si res ipsa nomini respondeat, esse Theologiam dogmata seu doctrinas Ecclesiæ Catholice completem, quæ si de moribus agant, *ad Moralem*, si de rebus fidei vel *ad Positivam*, ubi de legitimo S. Scripturæ sensu inter Catholicos, vel *ad Polemicam*, ubi Catholicos inter & hæreticos de ipsis fidei articulis disceptatur: si denique de rebus utrisque fidei ac morum, usitata in scholis methodo tractandis, ad *Theologiam Scholasticam* pertinent, cuius est intellectum circa res supra naturam positas solidis imbuere principiis, sententias Scripturarum, Patrum ac Conciliorum auctoritate firmare, & quæ in utramque partem obij-

objiciuntur, dissolvere. Quapropter Maiores nostri universum, si fas est dicere, Corpus Theologicum sapienti consilio, ne multa nimis in unum conjecta cumulum ordinem turbarent, (quo nihil in docendo pulchrius, nihil in discendo utilius) partiti sunt in diversas classes nimirum in Theologiam Speculativam, Positivam, Polemicam, & Moralem, extra quas aliam non agnoscebant, nec admittebant, utpote in ipsis jam comprehensam. Cessent igitur novam nobis Theologiam, scilicet Dogmaticam obtrudere Novatores, qui supra commune vulgus Doctorum sapere volunt, credentes sibi solis sapientiam familiariter loqui & adesse, velut Numæ Pompilio Deam Ægeriam, dum interea vatiniano plusquam odio Theologiam Scholasticam prosequuntur, eamque contemptui habent, & haberi ab omnibus volunt, Liam lippis oculis deformem cum Jacobo despicientes: dogmaticam vero suam ad fidera usque ad tollentes, & tanquam formosissimam Rachelem unice depereunt. Quid enim aliud agunt isti, quam quod syllogismos & omnem Dialecticam exosi nonnisi fragmenta historiæ Ecclesiasticæ undique corrasa, nudisque Patrum sententias sine delectu, sine acribia longo ordine producant, gravissi-

vissimum fidei morumque negotium ad  
memoriæ exercitium redigentes, ratione  
neglecta. De his jam olim ante annos du-  
centos questus est insignis ille ac vetera-  
nus Theologus Melchior Canus (q). „ Mi-  
„ rari non desino, ait, morem ejiciendi  
„ humanas rationes, cum in Theologia  
„ differitur, in quibusdam etiam Catho-  
„ licorum Gymnasiis insertum esse haud  
„ parva certe jactura Ecclesiasticæ dis-  
„ plinæ, si illa consuetudo invalefecat.  
„ Erunt enim ii, si res ita procedit, op-  
„ timi præstantissimique Theologi, qui  
„ plurima loca memoria tenuerint, &  
„ quod Jurisperitis objicitur, qui Elenchi  
„ fuerint librorum, & indices. „ *Tum*  
*paucis interjectis subjungit:* „ Talis sci-  
„ licet est Lutherana Theologia, in qua  
„ quoniam nullum acumen, nullum in-  
„ genii specimen est, optimo quisque  
„ splendidissimoque ingenio, quamlibet  
„ acie mentis & veri perspicacia polleat,  
„ quamlibet rerum & divinarum & hu-  
„ manarum ordinem ac connexionem te-  
„ neat, quamlibet caussas, effecta, ante-  
„ cedentia, consequentia non animo so-  
„ lum perlustrarit, sed etiam comprehen-  
„ derit, nulla tamen apud istos habetur  
„ in pretio. „ *Quid jam diceret Canus,*  
si

(q) *L. 9. de Loc. Theol. c. 3.*

si nostris insuper temporibus in arenam literariam prodeuntes alicubi conspiceret, qui post duos tresve syllogismos extra Formæ, ut vocant Scholæ, limites prossiliunt, altum adsurgentes, & grandi supercilio, manibusque jam dextrorum jam sinistrorum jactatis oratorio quodam dicendi genere nil nisi textus quosdam e Patrum uno vel altero bene longos adserunt, citant, accumulant, omnemque doctrinæ suæ supellectilem, quam prius memoriæ mandarunt, uno velut impetu effundunt, quibus postmodum ille, qui Defendantis partes gerit, & ipse velut ad concionem dicturus largissime reponit ea, quæ e Magistri sui scriptis memoriiter tenet, sive faciant ad rem, sive non: seu concludant, seu non; parum refert, Disputatio cum plausu finitur. Quid diceret, si audiret ab aliis Dogmaticæ herobus tres vel quinque positiones, ut plurimum ex Historia Ecclesiastica & Criticæ penetralibus de promtas pro decretoria universæ Theologicæ pugna publice exponi, magnis utrinque studiis & prolixis dissertationibus certari, antiquissimas quasque traditiones ac ritus Ecclesiæ in dubium vocari, in fine demum quid statuendum sic aut concludendum, splendide nesciri? Ecce! vivam imaginem Theologicæ

logiæ hujus novæ ac recentis, seculo non tam ad soliditatem doctrinæ quam sciendi curiositatem nato introductæ. Ita illi, qui obliquis Theologiam hanc oculis aspi- ciunt.

Non desunt tamen, qui causam illius defendendam totis viribus suscipiunt. Diu satis, ajunt, in scholis & cathedris sceptrum tenuit & regni habenas occupavit Theologia Scholastica, inanibus & nimium subtilibus Academias quæstionibus implevit, & magnis clamoribus doctorum hominum aures fatigavit. Tempus advenit, quo fasces primaque subsellia etiam invita cedat Dogmaticæ. Ea vivimus secula, quæ ingenia non damnant ad incudem & transtra, sed libera esse cupiunt, suique juris. Nimirum arctis circumscripsere Dii limitibus vitam humanam, quam si fere totam speculandi artibus consecrare velis, parum eruditionis consequi te necessum erit. Hæc autem modo ubique civitate donata est, & qui hanc linguam non calleth, peregrinus habetur, nec dignus, cui adsurgant literati & adplaudant. Vel solum Dogmaticæ nomen plus venerationis habet, quam integra Scholastico-rum volumina. Qui Patrum sententias aliquot recitare; quæ priscis temporibus Ecclesiæ disciplina viguerit, explicare; quot

Con-

Concilia, quo tempore, contra quorum errores celebrata fuerint, digitis enumereare, & acutas crises inspergere noverit, tanquam eruditionis secretioris oraculum avidis auribus ab abstinentium corona excipietur, quin & admiratione dignus habebitur. Compendium hoc viæ est, qua ad magni literatos inter nominis gloriam itur. Nova quidem hæc esse videtur doctrinæ Theologicæ species, sed antiquitatis induita pallio incedit, antiquitatem loquitur, antiquitatis monumenta in lucem profert, quibus mire demulcentur aures, non jam adsueta Scholasticorum tricis, & argumentorum subtilitatibus. Quid de libris dicam? non jam probantur in illis antiquatæ scribendi formulæ: *probatur*, *confirmatur*, *colliges*, *objicies*, *dices*, *re torqueo*, *distinguo* &c. nemo est, qui modo his subscrivere velit. Longe jucundius est, per apertos Historiæ Ecclesiasticæ campos vagari, & latum dicendi genus adhibere, quam inter Dialecticæ ejusdam sacræ spinas & dumeta jacere. Alio usi sunt stylo Patres antiqui, pleni dogmatibus, quæ postea Scholastici in pistriatum coegere. Bibliothecas si placet inspicere, libros quorum dorso inscripta est *Dogmatica*, mundos reperies & ipso usu politos; quibus vero *Scholastica*, multo pulvere

fordidos invenies. Hæc communi ætatis nostræ suffragio exulare jubetur, illa velut Palladium cœlo lapsum excipitur. Ita Dogmatica pro Domo sua perorat contra Theologiam Scholasticam.

## CXXXIV.

Sed ni mea me fallat opinio, utraque pars conciliari poterit, si æquus iudex cuique det, quod suum est. Evidem venror Theologiam dogmaticam, eamque sacræ doctrinæ Candidato utilissimam esse contendō: nec defunt etiam ultimis hisce seculis magnorum Virorum vestigia, quibus insistere gloriosum erit. Certe inter Eruditos eruditissimus Dionysius Petavius S. J. Theologus, Ludovicus Thomassinus, Congr. Orat. Presbyter, Honoratus Tournelius S. Facultatis Parisiensis Doctor & Socius Sorbonicus, Ludovicus du Mesnil, Universitatis Argentinensis, & Edmundus Simmonet Muffipontinæ Cancellarii, uterque Societatis Jesu, aliisque egregiam orbi literato, & sacræ præsertim doctrinæ operam navarunt, Auctores optime de Theologia meriti, dum ejus vel universæ vel magnæ partis dogmata vastis voluminibus eruditione, doctrina & omnigenæ scientiarum adparatu instruictissimis illustrarunt, nominis quod libris suis præfixerunt, digni-

gnitati sustinendæ pares, de quorum primo, nempe Petavio, in Præfatione sua ita loquitur Thomassinus ipse: *Magnum primus omnium & longe pulcherrimum opus aggressus est Dionysius Petavius, præstans-tissimæ & eruditissimæ Societatis Jesu lu-men incomparabile, priscam illam & pa-tritiam Ecclesiæ Theologiam mandare lite-ris, & in paucos Theologicorum Dogma-tum tomos congerere totam Sanctorum Pa-trum atque generalium Synodorum opulen-tiam.* Tantæ molis operi excogitando, ad-oriundo, perpoliendo, profigando unus par-erat Petavius, eruditorum non sui tantum ævi, sed plurium retro seculorum facile Princeps, & tum humanas tam sacras di-sciplinas omnes immensa quadam ingenii vi ita complexus, ut non facile quisquam ba-rum prolixæ hauriat singulas, quam ille exhausit universas. Jam vero si Theolo-giæ Dogmaticæ nomen ac institutum at-tentius consideremus, disciplina est, quæ fidei ac morum doctrinam tradit in S. Scri-pturæ ac SS. Patrum testimoniosis, in Con-ciliorum & Pontificum decretis & delinea-tionibus fundatam, atque argumentis a ratione petitis firmatam, veniente in sub-sidium historia Ecclesiastica. Alism sanc-tæ nec venerandæ Antiquitatis, nec Recen-tiorum vere doctorum ætias Theologiam

Dogmaticam vel agnoscit, vel profitetur. Ita profecto est. Quam vero rationem ac methodum in tradenda Theologia Scholastica observari credimus? Certe nisi Auctores Scriptoresque illius in libris publicam in lucem editis passim fallant ac mentionantur, in præcipuis Europæ Academiis Catholicis hæc est docendi methodus a Majoribus nostris sapientissime introducta & præscripta, quæ hodie etiamnum viget, scilicet ut præmissis quibusdam notatu dignis, exposito quæstionis præsentis statu, relatis diversis Auctorum Classico-rum opinionibus statuatur conclusio: probetur breviter primo quidem adductis quibusdam selectioribus S. Scripturæ textibus secundum sensum fidei dignorum Interpretum; tum allatis SS. Patrum sententiis, additis quoque si quæ occurrant, Conciliorum vel Ecclesiæ definitionibus: porro una alterave ratione solida stabilitur: denique ad argumenta in contrariam partem e Scriptura, Patribus, Conciliis ac ratione producta refutanda & dissolvenda proceditur. Atque hæc, ut dixi, ratione ac methodo, qua sane ad docendum nihil aptius, nihil ad discendum accommodatius, fidei morumque dogmata tum ea, quæ ad Deum ejusque scientiam & voluntatem, ad Angelos, ad gratiam, ad actus fidei,

fidei, spei & charitatis, virtutesque morales & vitia, tum quæ ad Incarnati Verbi & Sacramentorum mysteria explicanda serviunt, palam exponuntur, iisque universa Theologica disciplina in scholis bene moratis absolutur. Quid modo deest Theologiae Scholastica, quin sit Dogmatica, quum eidem tota ratio & definitio Dogmaticæ, tota tradendi methodus, & ordo conveniat? nisi forte hoc illi vitio vertatur, quod non isto nomine ac titulo insignita incedat, contenta eo, quem a tot retro seculis a Patribus, a Conciliis, a Summis Pontificibus, a Majoribus suis cum totius orbis literati consensu accepit. Profitetur se nihilominus Theologia Scholastica, si non nomine, certe re ipsa Dogmaticam seu dogmata fidei ac morum explicantem; non tamen illam, quam nonnulli vanissimi homines cudent in perniciem sacræ doctrinæ, omnem laborem in eo collocantes, ut desertis fidei ac morum principiis & Ecclesiæ traditionibus usuque fidelium per antiquiora secula circum volitent, captisque aliquot dubitatum muscis læti cum præda revertantur in Theologiam suam, multisque demonstrare conentur, nixi quibusdam obscuris auctoribus, aut chartis obsoletis, hæc & illa antiquis seculis in more posita non fuisse, nullam in iis istorum mentionem fieri,

fieri, nullum deprehendi vestigium: posterioribus primum seculis ejusmodi consuetudinem, ritum & observantiam in Ecclesia invaluisse, quamvis non raro de talibus rebus agatur, quæ proxime cum fide conjuncta sunt, ac sine illius injuria negari non possunt: atque eo rem vel incauti deducunt, vel perversi perducere satagunt, ut antiquissimas & facerrimas Ecclesiæ ac fidelium traditiones non sine fidei integritatis periculo in dubium varare consuecamus. Alii, quos non absque stomacho lustravi, magnum nomen Theologiarum Dogmaticarum fronti lucubrationum suarum inscribunt, & tanquam pretiosum corticem vendunt; sed si nucleus inspicias, post proœmium & paucas aliquas paginas de locis theologicis, nonnulla eruditione conditas, ad inanes prorsus & jejunas quæstiones, ac multo pulvere scholastico fordescentes dilabuntur sine ordine, sine delectu, ita ut vix illa nobilissimæ hujus scientiæ vestigia sit reperire. Verum hoc non Dogmaticæ vitium est, sed male intentionem. Sic igitur in pretio, prout esse debet rerum intelligentibus, Dogmatica, sed sincera & genuina, qualem se quoque nunquam non apud aequos Judices profitetur Scholastica, quæ in Academiis ut dixi Catholicis & bene moratis traditur;

quam-

quamvis non tanta cum ubertate, sacro-  
rumque testimoniorum e Scriptura, Pa-  
tribus, Conciliis, & historia Ecclesiastica  
coacervatorum abundantia, uti in præ-  
stantium Authorum voluminibus reperi-  
mus. Aliud enim est libros scribere,  
aliud in scholis e cathedra docere, ad  
quod discrimen plurimi non attendunt.  
Ibi velut in vasto mari plenis incedere  
velis licet: heic plerumque tum ob re-  
rum tractandarum copiam, tum ob tem-  
poris angustias, tum ob ingeniorum non  
æquali vigore præditorum tarditatem opus  
est saepe vela contrahere. Neque enim  
omnis fert omnia tellus, nec omnibus om-  
nia profund. Plus proderit animarum cum  
tempore Pastori (immo necessarium est,  
ut gravissimo muneri suo faciat satis) si  
præcipua fidei morumque dogmata solide  
possit demonstrare, quam si e cathedra ad  
rudes & simplices oviculas longos ex hi-  
storia Ecclesiastica & de antiquorum tem-  
porum moribus ac hæresum notitia &c.  
sermones instituat. Neutquam tamen in-  
ficias eo, etiam in scholis publicis Eccle-  
siasticæ Historiæ locum esse concedendum,  
& data occasione circa hæreses, Concilia,  
controversiarum quæstionum origines, fidei  
& Religionis nostræ Mysteria &c. hoc eru-  
ditionis genere velut sale, sed modico,

condiendos esse cibos, qui adponantur discipulis: tum quoque entendum esse iis præsertim, qui ad Ecclesiasticas olim dignitates & officia publica adspirant, ut hoc sacræ doctrinæ cimelium sibi comparent, quum in tali munere constituti non solum Ecclesiæ Dei ac fidei monumentum, sed etiam ornamentum esse debeant. Unum adhuc silentio præterire nec possum nec volo, quo pulcherrimum ac firmissimum Theologiæ Scholasticiæ cum Dogmatica fœdus & consortium clarissime demonstrari potest. Indicta postremis Ecclesiæ temporibus sacrosancta Synodo Tridentina, in qua sane nihil circa fidei, morum ac disciplinæ Ecclesiasticæ doctrinam prætermissum fuit, indicta inquam hac Synodo celeberrima vocati etiam ad eam, missique fuerunt Summi Pontificis ac Patrum consensu & voluntate ex omnibus Europæ Catholicæ provinciis & regnis Theologi Scholastici, viri præstantissimi, ac multis jam in Academica palæstra lauris & palmis insignes. Horum munus erat in eo orbis Catholicæ theatro, ut singulas fidei controversias quæstiones unitis viribus, maturoque consilio prius discuterent, antequam de iis ad sacrorum Judicium Senatum delatis quidquam decideretur: quivis autem illorum ad firmandam suam sententiam, quam

quam quisque amplexus est, in medium proferre jussus est argumenta e Sacris Scripturis, ex Apostolicis Traditionibus, ex antiquioribus Conciliis, e sanctis Patribus, e Constitutionibus Pontificum, atque Ecclesiae per seculorum Ordinem disciplina & consensu expromta, id quod summa fide ac industria, singularique eruditionis & scientiae commendatione fecerunt, ita ut teste Orlandino (r) in Concilio isto, quum Theologorum unus (Jacobus Lanius S. J. is erat) febri alternante labaret, quo die hominem febris tenebat, tota synodus vacare consuesceret. tanta erat in præstantissimo isthoc doctissimum virorum cœtu scholæ Theologorum veneratio, immo pene necessitas. Mirum profecto, si Theologia Scholastica omnis propemodum eruditionis & historicæ notitiae expers est, plena vero contentionum Dialecticarum & inutilium quæsitionum: mirum inquam, quod gravissimum totius Ecclesiæ negotium, & præcipua fidei Christianæ dogmata discutiendi, ponderandi, explicandi, illustrandique cura Theologis Scholasticis commissa faerit. Sed aliud æquius longe ac felicius sapientissimorum Patrum & Pontificum de his erat iudicium.

(r) Hist. Societ. p. 1. l. II. n. 36. & seqq.

H h h 5

cium. non enim ignorabant, Theologum vere Scholasticum eundem esse quoque Dogmaticum. Unde etiam celeberrimus ille Theologus, Dominicus Sotus Ord. Præd. fortissimis argumentis eodem in Concilio evicit, ne S. Scripturæ prælectio cathedræ Theologicæ, quam *Speculativam* vocant, præferretur, uti refert Card. Sfortia Pallavinus (s).

## §. II.

*Querelæ injustæ.*

## CXXXV.

**H**æc tenus de querelis justis: nunc ubi de injustis, quibus Theologia premitur, differendi locus est, quinque hominum in eam insurgentum classes distinguo. *Prima* est heterodoxorum, qui uti Ecclesiæ Catholicæ, ita & Theologiæ hostes aperta fronte se profitentur. Nam armis a Theologia speculatrice ac litigiosa depromtis toties profligati eam diris omnibus devoent, & nobile hoc pugnandi vincendique genus mille calumniis, scematibus, & dictariis tum apud suos, tum quod dolendum, apud Orthodoxos quoque obscurare conantur, eo consilio,

ut

(s) *Hist. Conc. Trident.* l. 7. c. 5. n. 3.

ut eliminatis hisce fortissimis rei Catholice  
præsidiis impune in religionis viscera  
grassari queant. Testis hac in re omni  
exceptione major esse potest Lutherus,  
qui non prius Ecclesiæ quam Theologiæ,  
cujus tamen Doctorem antea se professus  
est, bellum indixit. Hic in epistola, quam  
ad D. Jodocum Eisenacensem e coenobio  
Erfurdenſi dedit an. 1518. ita loquitur:  
*Ego simpliciter credo, quod impossibile  
sit, Ecclesiam reformari posse, nisi fun-  
ditus Canones Decretales, Scholastica Theo-  
logia, Philosophia, Logica, uti nunc ba-  
bentur, & eradicentur & alia studia in-  
stituantur, atque in ea sententia adeo  
procedo, ut quotidie Deum rogem, quate-  
mus id statim faciat.* Wicleffus scho-  
las nostras Cainitica castra ; lupanaria  
idem Lutherus ; conventus idolatriæ  
Calvinus, scholasticam vero Theologiam  
negotium perambulans in tenebris Kemni-  
tius, profanam & Parisiis natam, quæ  
Evangelium obscuravit, & fidem extin-  
xit adpellat Melanchton : Wittenber-  
genses in Saxonia insigne facinus, & ab  
orbe literato detestandum ediderunt, quod  
refert Surius in Appendix ad Nauclerum.  
quippe an. 1520. Scholasticæ Theologiæ  
libros, quotquot invenire poterant, fere-  
tro inclusos instar funeris ad medium ur-  
bis

bis plateam detulerunt sequentibus Ministeriis, & Officium Defunctorum per iudicium canentibus, tandemque in ardente injecerunt rogum, sacram simul doctrinam in cineres daturi, ignorantes tamen, quot quamque præclarri phœnices theologici ex his cineribus essent prodituri. Eadem hac in parte sentiendi nocendique libido fuit Jansenio Irenensi, qui dum querit, unde origo corruptelæ in Theologiam introduxit? respondet hanc a D. Thoma aliisque Scholasticis manasse: & (t) Scholasticam Theologiam adpellat *Sapientiam verbi, qua evacuatur crux Christi.* En! quam præclaros sequantur duces Catholicorum nonnulli, qui cum lupis hæreticis ululant sacram hanc doctrinam in scholis tradi solitam vilipendere, criminari, ac modis omnibus persecuti non verentur. Horum perfidis contubos jure merito licet opponere hominis ut ut Acatholici Francisci Stancari testimonium, & quod Petro Lombardo Theologorum scholasticorum Antesignano elegium concinnat his verbis (u): *Plus vallet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutberi, ducenti Melanchtones, trecenti Bullini-*

(t) *L. 9. de Heret. Pelag. c. 23.* (u) *L. de Trinit. & mediatis. apud Micraelium Syntagm. bift. Ecclesi. pag. 890.*

Bullingeri, quadringenti Petri Martyres,  
& quingenti Calvini, qui omnes si in  
mortario contunderentur, non exprimere-  
tur una uncia veræ Theologiae. Quin ipse  
Lutherus, licet teste Ullenbergio con-  
questus sit, sinceram Evangelii doctrinam  
in Ecclesia prorsus obscuratam Philoso-  
phiae quadam eluvione, idque Theolo-  
gorum Scholaisticorum turba, vi tamen  
veritatis compulsus, & sibimet contradic-  
cere jam adiuetus in hæc verba erupit:  
*Tolle Thomam, & sustulisti Ecclesiam.*

Altera classis est hominum, nimis quam  
par eis profanorum, qui rebus terrenis  
immeriti ad ea, quæ supra nos sunt, elu-  
ctari vel nolunt, vel non possunt. Na-  
turæ arcana sedulo quidem rimantur,  
aerem ignemque in statera ponderant, in-  
tuentur quid incolæ Jovis lunæque agant,  
divinant multa, pauca demonstrant. At-  
que hoc studium curasque suas, quibus  
diu noctuque naturæ scrutandæ spolian-  
dæque insudant, immensis extoliunt en-  
comiis: hanc solam disciplinam homine  
libero dignam prædicant, reliquas omnes  
spernunt. Quid Deus intelligat & velit,  
qua ratione Verbum caro factum fuerit,  
an Spiritus S. a Patre simul ac Filio pro-  
cedat, quid & quomodo gratia divina in  
homine operetur, eumque justum faciat,

qua-

qualis sit præsentia Christi sub Eucharistia speciebus &c. aliasque de quibus disceptant Theologi, rerum supernarum veritates tanquam vanas, inutiles, & vix non superstitiones grandi supercilio aspernantur. Non equidem horum studia & labores damno, quin & vehementer probo: subjecit enim Deus mundum disputationi hominum. Illud autem reprehensione dignum existimo, quod succenseant vel omnino insultare audeant iis, qui supra naturæ vires ingenio eluctantes divinarum rerum, fidei mysteriorum, aliorumque cœlestium arcanorum contemplationi se se impendunt, & Scripturæ oraculis, Patrum doctrina, Conciliorum decretis, Ecclesiæ placitis in consilium vocatis eruere conantur, quæ latent, ex iis quæ patent. Profecto si homine dignus labor est, minimarum rerum, elementorum, herbarum, animalium, quin & metallorum ac lapidum naturam indagare, ubi sœpe quo plura sciuntur, eo plura ignorantur: an Dei naturam & perfectiones, Angelorum iudicem, gratiæ dotes, abdita mysteriorum cœlestium scrutari, & quantum humana mens adsequi potest, in medium proferre, an hoc criminis decur, vel perditum credatur tempus, quod rerum adeo sublimium notitiae impenditur, dum in lucro

lucro ponitur illud, quod infimarum indagini & velut muscarum venationi, doctæque ignorantiae tribuitur? De hac res divinas contemplante scientia Bethlemicæ specus incola D. Hieronymus, jam olim pronunciavit (x): *Quid bac voluptate jucundius? qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & sensum creatoris inspicere, & sermones Domini Dei tui, qui ab his mundi sapientibus deridetur, plenos docere sapientia spirituali?* Illustriore adhuc encomio illam extollit Diadoctus Photices Episcopus (y). *Omnia dona Dei, inquit, sunt valde bona, & omnium bonorum causa, sed nullum ita cor nostrum inflammat, & illud ad amandum bonitatem ejus excitat, ut donum Theologie; cum enim sit fætus matutinus gratiæ Dei, prima etiam dona largitur animæ. Primum enim facit, ut libenter ac jucunde omnes vitæ his amicitias contemnamus; ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias verbi Dei majores quam dici potest, habeamus. Deinde mentem nostram igne naturam mutante collustrat: unde consonantem ministrantium spirituum eam facit, & divina hæc pronuba voces aptat, quibus*

(x) Epist. 115. (y) L. de perfect. Spirit. c. 67. tom. 5. Bibl. PP.

*bus smiles Deo efficeremur, & Theologici sermones diserte canerentur.* Omnia vero disertissimus est in commendanda Theologiae, præsertim scholasticæ, disciplina Hypponensis Præful Augustinus (z) his verbis: *Ea, (nimirum Theologia) fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem dicit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* *Quia scientia non possunt fideles plurimi, quamvis polleant fide plurimum.* Aliud est enim scire tantummodo, quod homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi aeterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur &c. Quapropter asserere non dubito, quanto anima corpus, cælum terram, gratia naturam intervallo superat, tanto Theologicum studium scientias quascunque naturales post se relinquere. Memor esse velim profanum hoc genus hominum illius, quod Poeta canit:

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,*

*Os homini sublime dedit, cælumque tueri*

*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

CXXXVI.

## CXXXVI.

Ad tertiam classem accedo hominum cæteroquin eruditorum, & politorum, quos Grammaticos adpellare fas est. Hos offendere potissimum solet ea, quæ in scholis comparet Theologia, rustico ut ajunt cultu, multaque barberie fœdata, omni sermonis latini nitore destituta, plenaque rugis inconditarum phrasium ac vocum, ut non tam nobilis cuiusdam matronæ, quam vetulæ trivialis speciem præseferat. Quid enim sibi volunt voces istæ: *essentia, subsistentia, incarnatione &c. realiter, formaliter, concretive &c.* quæ inter Scythes potius & in Ponto natæ videntur, quam in Latio? Argumenta quæ adferunt hi scholæ Doctores, plerumque jejuna sunt & insipida: hæc obtrudunt nauseanti stomacho velut escas omni sale ac condimento carentes. Ita fit, ut insulso & plene barbaro dicendi genere imbuti severiorum disciplinarum in Academiis alumni fere omnem sermonis Latini elegantiam exuant, quam tanto in Gymnasiis studio, & per tot annos improbo labore sunt consecuti. His ut satisfaciam Grammaticorum querelis, illud prius examini subjiciendum, quid hac in re judicarint Patres antiqui: non enim eadem

mens fuit omnium. Juvat heic quædam præmittere, quorum jam in libro de Rhetorica circa eloquentiam sacram memini: Non pauci erant, qui quum de sermonis ac styli genere in explicandis rebus altissimis ac divinis adhibendo differerent, omnem ornatui ac dictio[n]is munditie viam interclusam volebant: alii vero non tam ornatum quam nimium ejus studium, & verborum phaleras ac lenocinia procul amandari debere censuerunt. Quod tum maxime agebant Patres Antiquiores, quando pro sacris Literis pugnabant contra Gentiles, vitio vertentes Christianis incultum sermonem, quem in iis deprehendebant, quum libri Platonis, Aristotelis, Senecæ, Philonis aliorumque, quos ipsi circumferebant, copiose ac eleganter de rebus etiam summis ac divinis essent conscripti. Ita Celsum magno supercilie contemnentem sacros Codices, iisque anteponentem Græcorum scripta, ingenti eruditio[n]is adparatu superbientia, refellit Origenes (a), multisque ostendit, de industria id factum a Scriptoribus Canonicis, ne in gratiam doctorum hominum duntaxat eos exarasse viderentur, nulla rudium & plebejorum habita ratione, ac si hos tanquam profanos humilis conditio a verbi

(a) *Lib. 6.*

bi divini intelligentia longissime removet, quum tamen illius fructus ad omnes pertineat. Hinc (b) ait: *Sub temui & contempta locutione latentem esse arcanorum splendorem dogmatum, adeo ut quasi thesauro habeamus in vasis fictilibus, ut luceat sublimitas virtutis dei: nec a nobis hominibus esse creditur.* Ita Petrus Damianus (c) vivacitatem inquit sententiarum sermo ex industria cultus evacuat, & dictorum vim splendor elaboratus enervat. Ita quoque Gregorius M. (d) Mundi sapientes cum veritate rerum careant, aliud se esse quam sunt verborum compositionibus quasi superductis coloribus mentiuntur. At contra doctrina sapientiae & prædicatione pulchra est, & pura veritate conspicua: nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reservat interius: neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. Brevius Augustinus eandem sententiam complexus est, dum ait: *Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est: nostris de rebus.* Memorabile circa rem hanc est factum, quod in Concilio Nicæno I. contigit. Quum enim eloquentissi-

(b) *C. r. Philoc.* (c) *Opusc. 6. c. 38.*(d) *L. 18. Moral. c. 27.*

tissimus sui temporis & doctissimus Triphilius Episcopus textum illum Marci (e): *Tolle grabbatum tuum politiore non nihil sermonे produxisset*, dicendo: *Tolle bumilem lectum tuum*, sanctissimus senecio, Cypri Episcopus Spiridion gravissimis his verbis eum reprehendit: *Tune melior es illo (nimis Christo) qui dixit grabbatum*, ut ejus verbis uti dignevis? Contra non desunt Patres alii ex antiquis, qui sacram doctrinam non volunt quidem esse Virginem superbe contam, & ad superstitionē cujusdam elegantiae speciem exornatam, sed modeste cultam, religiose nitidam, & majestate quadam fulgentem Matronam, unde Cyrillus palam & diserte ait (f): *Non enim elegantiam in dogmaticis sententiis repudiat, vel tanquam adulterinam rejicit Ecclesiastica nostra doctrina.* Hieronymus quoque (licet ipso nimis quam par erat Ciceronianum fuisse caro steterit) quum Magnus, Orator Romanus, ex ipso quaesivisset, cur in Opusculis suis saecularium literarum interdum poneret exempla, & candorem Ecclesiae ethnicorum sordibus pollueret? ita respondit S. Doctor (g): „Exemplo id „se facere Moysis & Prophetarum, in „quibus quædam assumta sunt de gen- „tilium

(e) C. 5. (f) L. 6. Joan. (g) In epist. ad Magnum.

„ tilium libris : Salomonem in exordio  
„ Proverbiorum commonere , ut intel-  
„ ligamus sermones prudentiæ , versu-  
„ tiasque verborum , parabolas , & ob-  
„ scurum sermonem , dicta sapientum , &  
„ ænigmata , quæ proprie Dialecticorum  
„ & Philosophorum sunt . Deinde Paul-  
„ lum commemorat , qui non semel Poe-  
„ tarum abusus est versibus , ut Epimeni-  
„ dis , Menandri , & Arati . Demum Chri-  
„ stianorum Scriptorum atque Ecclesiæ  
„ Doctorum catalogum producit bene  
„ longum , qui omnes & eloquentissime  
„ dicunt , & in tantum Philosophorum  
„ doctrinis atque sententiis suos referci-  
„ unt libros , ut nescias , quid in illis pri-  
„ mum admirari debeas , eruditionem  
„ sœculi , an scientiam Scripturarum . „  
Huic affine testimonium est , quod præ-  
bet Lactantius (h) , *Circumlinatur* , ait ,  
*modo poculum cœlesti melle sapientiæ , ut*  
*possint ab imprudentibus amara remedia*  
*sine offensione potari , dum illiciens pri-*  
*ma dulcedo acerbitatem saporis asperi sub*  
*prætextu suavitatis occultat . Ita in utram-*  
*que partem pro temporum , morum , con-*  
*troversiarum diversitate ac conditione lo-*  
*quuntur Patres . Ego ut mentem meam*  
hoc

(h) *L. 4. de doctr. Christ. c. II.*

hoc in negotio aperiam , sic existimo : Grammaticæ ac eloquentiæ culturam ea temperie adhibendam esse ab illo , qui sacram profitetur doctrinam , ut semper meminerit simul , se Theologum esse. Hinc de sacris arcanisque loquens rebus sermonis splendorem non affectet , neque profanæ ac elatæ cujusdam eloquentiæ cimelia in Sancta Sanctorum inferat , ne hac ratione tam sublimis scientiæ majestatem levitatis nota & labo aspergat : nec tamen vel sordes amet , vel stoica severitate neglectum sermonis ubique sectandum sibi persuadeat , sed modesto simplicique cultu quodam & ornatu utatur , plusque de sententiarum gravitate , quam de verborum acumine sit sollicitus : pro rerum quoque ac personarum , quibus loquimur , vel de quibus scribimus , varietate varian-  
dus est stylus. Hinc omnino discrimen fieri oportere censeo , & aliud sermonis genus adhibendum esse , quum in scholis e cathedra Theologicæ quæstiones tyro-  
nibus proponuntur : aliud quum hoc præ-  
fertim seculo libri aliæve lucubrationes doctæ in orbis literati theatrum producun-  
tur. Prius si fiat , scholastico rigori est aliquid indulgendum , nec defugienda sunt vocabula Doctorum & Patrum antiquorum consuetudine trita & quasi civitate dona-

donata, quum experientia doceat, & venatoribus & opificibus impune licere propriis sibi vocibus uti, quas *terminos technicos*, seu *artis* adpellant: posterius si contingat, ornatus quoque ac sententiarum & verborum delectus accedat oportet, quamdiu aliud necessitas vel manifesta utilitas non suadeat. Dicet ergo Theologus absque crimine ac poena non solum *Essentiam*, *Existentiam*, *Relationem*, *Subsistentiam*, *Incarnationem*, & hujusmodi alia priscis usitata, verum etiam *Ens*, *Entitatem*, *Formalem rationem*, *Proprietatem personalem*, *Quidditatem*, & si quæ sunt similia, ita tamen, ut non nisi necessitate id suadente, ut dixi, agat, quæ tunc vel maxime locum habere videtur, quum aliæ voces aut sententiæ ad manus non sint, queis vel brevius vel clarius, vel elegantius, vel menti Patrum ac Doctorum conformius, aut æque significanter res vocibus illis ac sententiis subjectæ exprimi possunt ac declarari. Quippe ut præclare ait Augustinus, *melius est, ut nos reprobendant Grammatici, quam ut non intelligent populi.*

## CXXXVII.

*Quarta & Quinta classis est Criticorum & Novatorum.* Ut de prima dicam aliquid, sunt Criticorum e numero alii, qui nobilissima hac scientia, quam vel non intelligunt, vel ea certe abutuntur, quasi Socratis pallio se involvunt, ac in publicum prodeentes magni nominis famam aucupantur. Hi Patrum aliquot sententias, & excerptas ex historia Ecclesiastica controversias in utramque partem agitatas, vel omnino ex auctoribus hæreticis haustas, quas isti in Theologiam Scholasticam evomunt, calumnias & criminationes fideliter memoriæ mandant, in hominum literatorum cœtibus producunt, ac intentidem repetunt, obvios quosque, viros etiam cæteroquin doctos velut ægnimatibus suis Sphynges aggrediuntur, ac si forte Oedipum non inveniant, mire gloriantur, seque ipsos circumspiciunt quasi aureæ ætatis Theologos, & nobiliore metallo fusos sapientiæ Proceres: quodsi vero in homines solida doctrina Theologica instructos incident, ubi ratiocinando agendum est, ad unius alteriusve syllogismi insultum corrugant frontem, fluctuant, & pene in sicco merguntur. Non difficer, nobilissimam artem esse Criticam, modo

modo non sutor procedat ultra crepidam. In primam statim regulam Critices impingunt hujusmodi, quæ statuit, non nisi maturo consilio, probe perspectis utrinque fundamentis, nova veteribus & vetera novis rite prius comparando, & quænam horum plus valeant, discutiendo ferendam crisin ac censuram; quod qui homines isti faciant, aut facere possint, supernarum rerum notitia levissime tincti, plurimis intenti, per libros crabronum instar mutatis continuo stationibus grassantes, sane non dispicio. Alii e Criticorum classe sunt, qui grandi supercilie, & sibi soli sapientes Theologiam Scholasticam reipublicæ parum utilem, si non omninonoxiam & sibi & aliis persuadere conantur; eam dialecticis litibus & rixis nunquam finiendis plenam, ut ajunt, aversantur cane pejus & angue; demum eruditionis omnis expertem, & solum rebus sublimibus ac reconditis speculandis aurium tenus immersam esse conqueruntur: & hi plerumque sunt ex eorum hominum grege, quos D. Paullus *animales* vocat, & de quibus pronunciare non dubitat (i): *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, non potest*

(i) Cor. 2.

*poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Cuperent hi nimirum, ut Theologia quæ in ſcholis traditur (idem judicium ferunt censores iſti de aliis ſcientiis) ad vanam quandam animi oblationem, & sermonis eruditii condimentum ſerviat, parum ſoliciti, ut ſemper präſto ſint in Republica Christiana homines, qui ſolida rerum divinarum & ad mores fidelium informandos pertinentium doctrina in ſcholis imbuti tum Religionis noſtræ dogmata docte proponant, apte explicent, & in ovium ſibi creditarum animis ſarta tecta conſervent, tum aduersus ingruentes undique hæresum iſfidias fortiter defendant ac tueantur. Agnoſcant quæſo Viri Catholici, quid agant, his präſertim periculis temporibus: nimirum tacite cum hæreticis conſpirant: qui lupos illos Aſſo‐pi imitantur; hi quum bellum ovibus in‐ferre decreviſſent, pavlo ante vehemen‐ter iis ſuadebant, ut canes procul a fe‐ſemandarent, tanquam animalia latratu ſuo ac morsibus quietem publicam turbantia, quo conſilio non utique quietem ovibus, ſed ſibi oves in prädam quærebant. Philistæos quoque imitantur, qui deviſtis olim Gabaonitis ſedulo cautum eſſe vole‐bant, uti ſacra teſtatur Scriptura (k), ne  
faber

(k) I. Reg. c. 13.


*faber ferrarius inveniretur in omni terra  
Israel, ne forte facerent Hebræi gladium  
& lanceam, & inveniretur censis in die præ-  
lii. Id ipsum profecto agunt Sectarii: ca-  
nes a grege arcere student, ut amoto cu-  
stode in Christi ovile impune possint sœvi-  
re: gladios & lanceas e manibus Catholi-  
corum extorquere conantur, ut inermes  
securius invadere ac opprimere queant:  
nempe Theologis & armis theologicis,  
fortissimo illo contra hostes præsidio Eccle-  
siam exuere adlaborant. Et quid Catho-  
lici ad hæc? Res deploranda! eo perva-  
tum est Criticorum ejusmodi dicteriis &  
cavillationibus perpetuis, ut pauci, qui  
tamen ad officia & dignitates Ecclesiasticas  
eo meliores, quo pinguiores adspirant, in  
quibus constituti Ecclesiæ disciplinam, do-  
ctrinam, & fidem defendere deberent, seque-  
murum pro Domo Dei opponere, ut inquam  
pauci Theologicis studiis sese impendant,  
& his operam dare vix non probro sibi du-  
cant, contenti doctrinæ aliquid e Jure  
Canonico, eaque quæ potius Ecclesiastica  
historia, quam Theologia nominari me-  
retur, disciplina delibasse. Ita fit, ut non  
raro negligantur, quæ non intelliguntur:  
damnentur quæ sana sunt, quæ infesta,  
absolvantur: & si Concilium aut Synodus  
ad opprimeundam in cunis nascientem quam-  
dam*

dam hæresin celebranda foret, forte aliqui non inveniretur ensis in die prælia.

Ad quintam quod adtinet classem, scilicet Novatorum, hæc omnium maxime noxia est. Juvat rem hanc intime cognoscere. Ea est ingeniorum indoles, ac inditus a natura in utramque partem impetus, ut recens inventa summo plausu excipiant, & velut submissa cœlo Palladia adorent. At ubi continuo quasi usu detrita juventæ florem exuunt, & ad senectam vergunt, eorum tædio capta e vestigio ad nova invenienda prorumpant; id quod plerisque in artibus ac naturæ operibus, tum vel maxime in scientiis fieri experientia docet. Nec solum hac novandi cupiditate velut vento correpti in naturalis, sed etiam in Divinæ Theologicæque scientiæ oceano velificant non pauci, & plus ultra velis remisque contendunt novi, si superis placet, Columbi & Americi. Quo non orbis eruditæ adplausu & omnium admiratione excepta est Petri Lombardi celeberrimi illius sententiarum Magistri Theologia, qui primus vastissimam hanc scientiam per Græcorum Latinorumque Patrum volumina etiamnum veluti vagam intra limites coercuit, & antiquorum Patrum sententias, quatuor libris complexus Theologiæ Scholasticæ fundamen-

damenta jecit? Subinde hæc ipsa doctrina Angelici & Seraphici Doctorum divino plane ingenio, industria, calamo eam in duerat formam ac decorem, quo etiam num hodie vestita in summis Academiarum saniorum cathedris comparet. Nihilominus turbulenta quædam ingenia protrulit eruditum nimis præsens seculum, quæ vel priorum fastidio depravata, vel novandi studio familiari abrepta, diruto quantum per ipsos stat Scholasticae Theologiae muro, ipsis venerandæ antiquitatis rudibus novum sacræ doctrinæ ædificium & sistema superstruxere, quo & securius latenter, & certius nocerent. Speciosus profecto conatus, si non occultaretur sub eo doctrinam sanam & solidam evertendi animus, quum ratiocinationi ac disputatiōni parum vel nihil tribuant; falsa dogmata veteris disciplinæ pallio involuta pro veris temere venditent, antiquæ Ecclesiæ rigorem exulare jussa mansuetudine velut postliminio revocent, tanquam jugum non suis sed aliorum humeris imponendum: vetustissimas traditiones piisque fidelium consuetudines longo usu roboratas impugnant, & jam per multa secula civitate donatas doctrinas labefactare, immo penitus evertere conentur. Atque hæc ultima novorum Theologorum classis, tam frequens

quens his temporibus, quam Christianæ  
Reipublicæ nociva, summo studio vitanda  
est illi, qui tanti mensuram nominis imple-  
re cupit. Igitur omne hac in re punctum  
tulit, qui novit utile miscere dulci, scho-  
lasticas contentiones eruditionis studio tem-  
perare, geminasque sorores Scientiam &  
Sapientiam inviolabili nexu conjungere.  
Ita fiet, ut tandem vera & genuina Theo-  
logiæ imago prodeat cum maximo &  
discentium emolumento & doctorum  
plausu.





# INDEX RERUM ET VERBORUM LIBER XII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

## A.

- Actiones humanae an possint esse indifferentes.* L. 12. N. 83.  
*An detur obligatio omnes actiones referendi ad finem positive honestum.* L. 12. N. 83.  
*Adamus humani generis parens simul & doctror fuit.* L. 12. N. 17.  
*Alexandri VII. declaratio circa festum Immaculatae Conceptionis.* L. 12. N. 121.  
*Angelorum existentia, divisio in choros, natura, & loquela.* L. 12. N. 75.  
*Angelorum lapsus & peccatum.* L. 12. N. 76.  
*Apostoli fuerunt Theologi, ut patet ex eorum epistolis.* L. 12. N. 22.  
*Doctrina Theologica D. Paulli.* L. 12. N. 22.  
*Disputatio Theologica D. Stephani.* L. 12. N. 22.  
*Arius,*

## Index Rerum

- Arius, ejus imago, doctrina & errores.* L. 12. N. 105.  
*Negat Dei filium esse ὁμοότιον seu Consubstantialem Patri.* L. 12. N. 105.  
*Condemnatur : ejus interitus.* L. 12. N. 105.  
*Tristis facies Ecclesiæ tempore Arii.* L. 12. N. 106.  
*Arianorum & Semi-Arianorum fraudes & simulatio.* L. 12. N. 106.  
*Aristotelis judicium de Theologia Poetica Veterum.* L. 12. N. 15.  
*Aristotelis libelli aliquot Parisiis prescribuntur.* L. 12. N. 42.  
*Athanasi gloriosum certamen adversus Arianam bæresim.* L. 12. N. 106.  
*Attritio: ejus indoles & virtus.* L. 12. N. 102.  
*Augustini locus celebris de filio Dei, quod non fit minor Patre, contra Arianos.* L. 12. N. 106.  
*Plures libros scripsit contra Pelagianos, quos debellavit.* L. 12. N. 107.

## B.

- Bajus (Michael) Janseniamæ seclæ fundamentum ponit: ejus doctrina & errores.* L. 12. N. 118.  
*Adnitente Card. Toleto palinodiam canit.* L. 12. N. 118.  
Bam-

Et Verborum Lib. XII.

- Bannesii aliorumque conatus ad Molinæ doctrinam suppressiendam. L. 12. N. 124.  
Bastidæ disputatio de auxiliis gratiæ. L. 12. N. 126.
- Beatitude seu ultimus finis in quo constat. L. 12. N. 80.
- Errores ethnicorum Philosophorum circa beatitudinem. L. 12. N. 80.
- Beati an peccare possint. L. 12. N. 81.
- Bellarmini doctrina de certitudine, quod Concilium aliquod sit legitimum. L. 12. N. 33.
- Bellarmini testimonium circa Concilii Tridentini Acta in negotio gratiæ. L. 12. N. 126.
- Belluga (Cardin.) memorabile factum ad promovendum cultum Immaculatæ Conceptionis. L. 12. N. 121.
- Sub Benedicō XIV. Acta in causa Janistarum. L. 12. N. 119.
- Benedic̄tī XIII. Decretum pro Schola Thomistica in negotio gratiæ. L. 12. N. 126.
- Benedic̄tus XIV. Capellam Pontificiam dēcernit in honorem Immaculatæ conceptionis. L. 12. N. 121.
- Bibliæ in vulgari lingua lectionem quomodo prohibeat Tridentinum. L. 12. N. 50.
- Biblioteca prima apud Christianos Cæsaræ. L. 12. N. 23.
- Bulla Unigenitus. L. 12. N. 119.
- BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XII. Kkk C.

# *Index Rerum*

## *C.*

- Calvini typus & doctrina.* L. 12. N. 116.  
*Turbæ in Gallia a Calvino excitatae.* L. 12. N. 116.  
*Calvinianæ sectæ soboles: Puritani, Arminiani, Gomaristæ &c.* L. 12. N. 116.  
*Calvinianæ sectæ liberum exercitium e Gallia proscriptum.* L. 12. N. 116.  
*Canon Synagogæ continet libros tot, quæ literas alphabetum hebraicum, viginti duos.* L. 12. N. 48.  
*Canon Ecclesiæ Romanae continet libros septuaginta duos.* L. 12. N. 48.  
*Librorum canoniconrum genealogia.* L. 12. N. 48.  
*Canonici Libri Legales, Sapientiales, & Prophetici.* L. 12. N. 48.  
*Cani (Melchioris) judicium de libertate Theologica.* L. 12. N. 10.  
*Cani doctrina de diligentia & cura in Conciliis adhibenda.* L. 12. N. 33.  
*Ejusdem judicium de Theologia, quæ rationimationem excludit.* L. 12. N. 133.  
*Caroli M. epistola ad Elipandum de consensu Episcoporum.* L. 12. N. 30.  
*Catalogus sententiarum e libris S. Scripturæ selectarum.* L. 12. N. 56.  
*Catalogus rerum & factorum, quæ in S. Scriptura narrantur, e variis ejusdem libris selectorum.* L. 12. N. 58.  
Cen-

Et Verborum Lib. XII.

Censuram ferre in foro Theologico non est  
fas privato: sed S. Sedis est. L. 12. N. 9.  
Charitatis natura & objectum formale.

L. 12. N. 96.

Christus methodo scholastica seu subtili ar-  
gumentatione saepius usus est. L. 12. N. 21.

Christus pro omnibus mortuis est. L. 12. N. 79.

Clemens VIII. legit librum Molinæ, ac  
notas addit. L. 12. N. 125.

Immoritur huic negotio. L. 12. N. 125.

Clementis XII. Breve pro schola & doctri-  
na Societatis. L. 12. N. 126.

Communio an sub una vel sub utraque spe-  
cie Laicis concedenda. L. 12. N. 103.

Conceptio Immaculata, seu exemptio B.  
V. M. a peccato originali: an debitum  
proximum contraxerit. L. 12. N. 87.

Ejusdem pia opinio jam a tempore Apo-  
stolorum viguit. L. 12. N. 120.

de Conceptionis Immaculatae festo contro-  
versia inter S. Bernardum, & Canoni-  
cos Lugdunenses. L. 12. N. 120.

Controversia circa Immaculatam Concep-  
tionem inter scholam Thomisticam  
& Scotisticam. L. 12. N. 120.

Conceptio Immaculata defenditur in Con-  
cilio Basileensi. L. 12. N. 120.

Officium de Immaculata Conceptione a  
Sixto IV. fuit institutum, & jussu  
Pii V. editum. L. 12. N. 120. & 121.

## *Index Rerum*

- Constitutiones Pontificum circa contro-  
versiam de Immaculata Conceptione.*  
L. 12. N. 120.  
*Conceptionem Immaculatam impugnantes  
eensuris subjiciuntur.* L. 12. N. 121.  
*Controversia de voto defendendi Immacu-  
latam conceptionem.* L. 12. N. 121.  
*Suscitata a Lamindo Pritanio minus pia  
opinio refellitur.* L. 12. N. 121.  
*Decretum Concilii Tridentini de peccato  
originali, in quo excipitur B. V. &  
Immaculata vocatur.* L. 12. N. 121.  
*Concilium quid sit: ejus divisio in Univer-  
sale & Particulare: Universalis in Oe-  
cumenicum, Reprobatum, & partim Ap-  
probatum partim Reprobatum.* L. 12. N. 31.  
*Particularis in Nationale, Provinciale,  
& Diaecesanum.* L. 12. N. 31.  
*Conciliorum tam veteris quam novi testa-  
menti origo.* L. 12. N. 31.  
*Concilia primi celebrarunt Apostoli.* L. 12.  
N. 31.  
*Conciliorum an in Ecclesia necessitas detur.*  
L. 12. N. 31.  
*Concilia convocandi caussæ recensentur.*  
L. 12. N. 32.  
*Tria requisita ad Concilium legitimum,*  
1. *indictio & convocatio a Pontifice  
facta.* 2. *Patrum cura in definiendo.*  
3. *Confirmatio Pontificis.* L. 12. N. 32.  
Con-

¶ Verborum Lib. XII.

- Concilii infallibilitas demonstratur. L. 12.  
N. 33.
- Conciliarum XVIII. Oecumenicorum Sy-  
nopsis. L. 12. N. 34.
- Concilia Generalia, quæ non fuerunt Oe-  
cumenica. L. 12. N. 34.
- Concilium an in morum decretis errare  
possit. L. 12. N. 33.
- Concilia convocare non est humanum inven-  
tum. L. 12. N. 33.
- Concilium Nicænum I. ejusque descriptio.  
L. 12. N. 105.
- Viri præclarissimi, qui buic Concilio in-  
terfuerunt : eorum elogium. L. 12.  
N. 105.
- Concilii Nicæni Symbolo addita fuit par-  
ticula Filioque. L. 12. N. 113.
- Concilii Chalcedonensis acta adversus Euti-  
chitem ejusque asséclas. L. 12. N. 110.
- Concilium Florentinum, in quo rursus ten-  
tata fuit cum Græcis concordia: Arti-  
culi Concordiæ : Decretum unionis.  
L. 12. N. 113.
- Ordo sedentium in Concilio. L. 12. N. 113.
- Concilii Tridentini descriptio, ejusque  
fructus. L. 12. N. 117.
- Concilii Tridentini existimatio de Theolo-  
gis Scholasticis. L. 12. N. 144.
- Concordantiæ Bibliorum Auctor. L. 12. N. 59.
- Confessio Augustana. L. 12. N. 115.

## *Index Rerum*

- Constantinus proscribit S. Athanasium,* L. 12. N. 106,  
*Controversia inter S. Stephauum Papam & Cyprianum de baptismo bæreticorum,* L. 12. N. 27.  
*Controversia circa Pascha celebrandum.* L. 12. N. 27.  
*Contentio inter D. Petrum, & Paullum circa simulationem in conversatione cum Gentilibus & Judæis.* L. 12. N. 120.  
*Cultores Theologiae naturalis.* L. 12. N. 15.  
*S. Cyrilli anathematismi contra Nestorium.* L. 12. N. 109.

## D,

- Dei perfectiones tum negantes tum affirmantes.* L. 12. N. 70.  
*Dei intellectus & Scientiae.* L. 12. N. 71.  
Eiusdem voluntas, & decreta. L. 12. N. 72.  
*Dialectica in forum Theologicum invecia male audit apud aliquos SS. Patrum.* L. 12. N. 41. & 42.  
*Dialectica multi ad bæreses abusi sunt, uti Arius Aetius, Eunomius &c.* L. 12. N. 42.  
*Dialectica non negligenda in Theologia.* L. 12. N. 10.  
*Discrimen inter doctrinam Catholicam, & mere Theologicam.* L. 12. N. 4.  
*Dioscori crudelitas in Flavianum in Synodo prædatoria Ephesina.* L. 12. N. 110.  
*Dispu-*

Et Verborum Lib. XII.

- Disputatio celebris Emmanuelis Calecæ cum  
Nicephoro Gregora, Theologicæ ac Dia-  
lethicæ hoste acerrimo.* L. 12. N. 45.  
*de Disputandi more, qui apud aliquos inva-  
luit, judicium Melch. Cani.* L. 12. N. 133.  
*S. Dionysius Areopagita D. Petrum vocat  
Theologorum decus & columen.* L. 12. N. 2.  
*Divisio honorum Ecclesiasticorum, quo jure  
facta sit.* L. 12. N. 97.  
*Doctrina quælibet tribus nititur principiis,  
vel opinione, vel fide, vel intellectu.*  
L. 12. N. 3.  
*Doctrina Catholica de duabus in Christo vo-  
luntatibus.* L. 12. N. 111.  
*Doctores Ecclesiæ quinam dicantur.* L. 12.  
N. 38.  
*Doctores Ecclesiæ quatuor reuniuntati a Bo-  
nifacio VIII. S. Gregorius M. S. Augu-  
stinus. S. Ambrosius. S. Hieronymus.*  
L. 12. N. 38.  
*S. Thomas a Pio V. & S. Bonaventura  
a Sixto. V.* L. 12. N. 38.  
*Doctores alii Ecclesiæ, non ita Solemniter  
declarati.* L. 12. N. 38.  
*Dogma Catholicum seu Imperatum: pure  
theologicum; liberum & toleratum. Sin-  
gulorum exempla.* L. 12. N. 8.  
*Dogma Catholicum quid sit.* L. 12. N. 133.  
*Dominium Clericorum, & Religiosorum.*  
L. 12. N. 97.

## *Index Rerum*

- Dominum hominis in hominem.* L. 12. N. 98.  
*Dominium in feras.* L. 12. N. 98.  
*De modis acquirendi dominium.* L. 12.  
N. 98.

## E.

- Ecclesia est infallibilis in discernenda sana doctrina.* L. 12. N. 9.  
*Ecclesiæ auctoritas, etymologia, & notæ veræ Ecclesiæ.* L. 12. N. 29. & 30.  
*Ecclesiæ membra quinam sint, & qui non,* L. 12. N. 29.  
*Hæreses circum membra Ecclesiæ.* L. 12. N. 29.  
*Ecclesia per orbem dispersa an sit infallibilis.* L. 12. N. 30.  
*Ecclesiæ nascentis facies.* L. 12. N. 60.  
*Ecclesiæ infallibilitas.* N. 12. N. 93.  
*Ecclesiæ Catholicæ triumphus de Ariana hæresi.* L. 12. N. 106.  
*Ecclesiæ facies Seculo XVI. & mores corrupti.* L. 12. N. 115.  
*Edictum Nannatense abolidum a Ludovico XIV.* L. 12. N. 116.  
*Editiones S. Scripturæ, Hebraica, Graeca, Latina, vernacula.* L. 12. L. 50.  
*Eutychetis prava dogmata.* L. 12. N. 110.

## F.

- Ferreiræ (Bartholomæi) O. P. testimoniū & elogium Molinæ libro & doctrinæ datum.* L. 12. N. 124.  
*Fides*

¶ Verborum Lib. XII.

- Fides ex triplici fonte manat: ex Scriptura, ex Traditionibus, & ex Ecclesiae definitione.* L. 12. N. 3.  
*Fidei ultima resolutio.* L. 12. N. 93.  
*Argumenta credibilitatis pro Fide Catholica.* L. 12. N. 93.  
*Fidei dotes: ejus certitudo.* L. 12. N. 93.  
*Fides vera in quanam Religione inveniatur.* L. 12. N. 94.  
*Fidei necessitas.* L. 12. N. 94.  
*Figuratæ dictiones S. Scripturæ, ejusque exempla.* L. 12. N. 53.  
*S. Flaviani M. pugna illustris cum Eutychianis.* L. 12. N. 110.  
*Formula Conciliorum: Hæc est fides Patrum.* L. 12. N. 38.

G.

- Germania per sectam Lutheranam misere vastata.* L. 12. N. 115.  
*Glossæ interlinearis, & Glossæ ordinariæ Auctōr.* L. 12. N. 59.  
*Gnosti primorum temporum bæretici pessimī.* L. 12. N. 60.  
*Gratiæ natura & divisio.* L. 12. N. 88.  
*Gratiæ divinæ motio quomodo fiat.* L. 12. N. 88.  
*Gratia efficax in quo consistat.* L. 12. N. 90.  
*Circa gratiam efficacem doctrina scholæ Thomisticæ, Scotisticæ, ac Societatis.* L. 12. N. 90.

## Index Rerum

- Gratia sufficiens: an aliquibus negetur.* L. 12. N. 89.  
*Hæreses circa gratiam, & dogmata Catholica.* L. 12. N. 89.  
*Gratia sanctificans.* L. 12. N. 91.  
*Gratia vocationis.* L. 12. N. 91.  
*Vera & genuina origo controversiae de auxiliis Gratiae.* L. 12. N. 123.  
*Doctrina Societatis circa gratiam conformis menti S. Fundatoris Ignatii.* L. 12. N. 123.  
*Græcorum Schisma: ejus origo & series sub Photio Patriarcha & successoribus.* L. 12. N. 112.  
*Græci cum Ecclesia Latina reconciliantur in Concilio Lugdunensi.* L. 12. N. 112.  
*Græcorum perfidia, & obstinatio in schismate.* L. 12. N. 112.  
*Articuli, in quibus dissidebant Græci a Latinis.* L. 12. N. 113.  
*Tentata rursus concordia in Concilio Florentino.* L. 12. N. 113.  
*Græcorum iterata perfidia a Deo punita eversione Imperii.* L. 12. N. 113.  
*S. Gregorius Nazianzenus quare Theologus sit appellatus.* L. 12. N. 2.  
*Gregorii IX. literæ ad universitatem Parisiensem contra nimium philosophandi usum in rebus theologicis.* L. 12. N. 132.  
H. He-

Et Verborum Lib. XII.

H.

*Hebraismi, seu varii modi loquendi apud  
Hebræos usitati.* L. 12. N. 52.

*Hæreses Theologieæ studium promoverunt,* L. 12. N. 23.

*Hæreticorum vana appellatio ad Concilium universale.* L. 12. N. 30.

*Hæreticis Dei providentia semper oppo-  
suit Patres, aliosque viros doctissimos,* L. 12. N. 60.

*Hæreses Ecclesiam Catholicam infestantes  
ordine seculorum recensentur.* L. 12. N. 60.

*Hæreticorum fraudes, qui dialecticam &  
ratioçinandi methodum e Theologia pe-  
nitus exclusam volunt.* L. 12. N. 45.

*Helsini officium de Immaculata Conceptione  
cælitus præscriptum.* L. 12. N. 120.

*Historiæ Theologicæ prima elementa.* L. 12.  
N. 13.

*Historia Theologicæ Naturalis, & Super-  
naturalis.* L. 12. N. 14. & seq.

*Honorius Papa a Sergio & Monothelitis  
deceptus.* L. 12. N. 111.

*de Honorii damnatione in Concilio Constan-  
tinopolitano.* L. 12. N. 111.

*Hugonotarum cædes in Gallia.* L. 12. N. 16.  
*Humanitatis Christi prærogativæ ac dotes,* L. 12. N. 79.

*Ejusdem Sanctitas, in peccabilitas, &  
libertas.* L. 12. N. 79.  
Huss

## *Index Rerum*

*Huss ( Joannes ) Wicleffi hæresin in Bohemia resuscitavit.* L. 12. N. 114.

*Dannatur in Concilio Constantiensi, & cum Hieronymo Pragensi comburitur.* L. 12. N. 114.

*Husitarum turbæ in Bohemia.* L. 12. N. 114.

### I.

*Jansenii ( Cornelii ) imago : ejus opus posthumum : Augustinus Jansenii.* L. 12. N. 118.

*Jansenii protestatio sub vitæ finem.* L. 12. N. 118.

*Ejus liber damnatur ab Urbano VIII.* L. 12. N. 119.

*Turbæ inter Episcopos Galliæ ob Jansenii doctrinam.* L. 12. N. 119.

*Jansenii causa agitatur Romæ sub Innocentio X. damnantur quinque propositiones.* L. 12. N. 119.

*Janseniani varia querunt effugia.* L. 12. N. 119.

*Ignorantia vincibilis & invincibilis.* L. 12. N. 82.

*Incarnationis possilitas & existentia.* L. 12. N. 77.

*Incarnationis necessitas, caussa finalis & meritoria.* L. 12. N. 78.

*Infallibilitas Ecclesiæ demonstratur.* L. 12. N. 29.  
*Infal-*

& Verborum Lib. XII.

*Infallibilitas Concilii pluribus adstruitur.*

L. 12. N. 33.

*Innocentius IX. urgetur fuisse ad damnandam sententiam benignam.* L. 12.

N. 127.

*de Indulgentiis promulgandis controversia.*

L. 12. N. 115.

*S. Joannes Evangelista unde Theologi nomen acceperit.* L. 12. N. 2.

*Joannis XXII. effatum de doctrina D. Thomae.* L. 12. N. 25.

*Josephus Patriarcha Constantinopolitanus comparet in Concilio Florentino, eoque durante moritur.* L. 12. N. 113.

*S. Isidori doctrina Theologica.* L. 12. N. 24.

*Judex an condemnare possit reum, quem scit esse innocentem.* L. 12. N. 98.

*Justificationis negotium, & dispositiones ad illam.* L. 12. N. 91.

*Justificatio formalis in quo consistat.* L. 12. N. 96.

L.

*Laynii S. J. celebris oratio pro Immaculata Concepcione in Concilio Tridentino.*

L. 12. N. 121.

*Lemos O. P. disputatio de auxiliis gratiae.*

L. 12. N. 126.

*Lex naturalis, Mosaica, Evangelica, humana tam civilis, quam Ecclesiastica.*

L. 12. N. 84.

Libe-

## Index Rerum

- Liberius Papa deceptus ab Arianis.* L. 12.  
N. 106.
- Libertas sentiendi in Theologicis, certos  
tamen intra limites.* L. 12. N. 10.
- Liberum arbitrium quid rei sit.* L. 12.  
N. 83.
- Hæreses circa liberum arbitrium.* L. 12.  
N. 83.
- Libertas indifferentiæ.* L. 12. N. 83.
- Librorum sacrorum brevis synopsis.* L. 12.  
N. 47.
- Librorum Sacrorum tres classēs.* L. 12.  
N. 48.
- Libri Autographi tam veteris quam novi  
Testamenti qua lingua scripti fuerint.*  
L. 12. N. 50.
- Libri varii Pænitentiales variorum aucto-  
rum.* L. 12. N. 64.
- Liturgia S. Jacobi.* L. 12. N. 120.
- Lombardi (Petri) Opus sententiarum,  
eiusque elogium.* L. 12. N. 132.
- Lombardi opera in Academia Parisiensi  
Baccalaureatus, Licentiatus, & Docto-  
ratus instituti fuerunt.* L. 12. N. 25.
- Lumen gloriæ quid sit.* L. 12. N. 81.
- Lutheri lamenta contra Theologiam.* L. 12.  
N. 7.
- Ejusdem contra Traditiones Philippicæ.*  
L. 12. N. 27.
- Luthe-*

## ¶ Verborum Lib. XII.

- Lutheri imago & indoles.* L. 12. N. 115.  
*Eiusdem doctrina & hæresis.* L. 12.  
N. 115.  
*Dannatur a Leone X.* L. 12. N. 115.  
*Lutheri Patmos.* L. 12. N. 115.  
*Lutberancæ se& tæ propagatorès: Melanchton,*  
*Caroſtadius, Bucerus &c.* L. 12. N. 115.

## M.

- Marcellini Pontificis lapsus in idololatriam probabilius commentum esse ostendit.* L. 12. N. 120.  
*Marciani Imperatoris lex circa Conciliorum decreta.* L. 12. N. 33.  
*Medina (Bartholomæus) & Dominicus Soto fere primi doctrinam probabilismi excoluerunt, quos secuti sunt plurimi & præcipui Thomistarum aliorumque.* L. 12. N. 130.  
*Meyer (Levini) S. J. Historia de Auxiliis gratiæ.* L. 12. N. 126.  
*Michael Palæologus Imp. comparet in Concilio Florentino in causa Græcorum.* L. 12. N. 113.  
*Molinæ (Ludovici) S. J. liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii.* L. 12.  
N. 122.  
*Editio libri ab Inquisitione Lusitanica comprobata.* L. 12. N. 124.  
*Molinæ doctrina accusatur apud Inquisitionem*

## Index Rerum

- nem Hispanicam, sed absolvitur & adprobatur.* L. 12. N. 124.  
*Eidem adhærent multi Ordines Religiosi & Academici.* L. 12. N. 124.  
*Molinæ ac Societatis doctrinæ lis intentatur Romæ apud Pontificem Clementem VIII.* L. 12. N. 125.  
*Congregatioes & disputationes coram Pontifice de Auxiliis gratiæ.* L. 12. N. 125.  
*Exitus totius causæ.* L. 12. N. 126.  
*Monothelitarum bæresis, ejusque historiæ.* L. 12. N. 111.  
*Ecthesis Heraclii Imperatoris* L. 12.  
N. 111.  
*Montaltii literæ Provinciales Parisiis combustæ, Romæ condemnatæ.* L. 12. N. 128.  
*Moses præ reliquis Theologiam professus est, teste S. Scriptura.* L. 12. N. 18.

## N.

- Naturæ triplex status : puræ, integræ, ac lapsæ.* L. 12. N. 88.  
*Nestorii effigies : ejus bæresis & errores.* L. 12. N. 109.

## O.

- Odium insigne bæticorum adversus Theologiam.* L. 12. N. 7.

*Opi-*

¶ Verborum Lib. XII.

*Opinio : an teneamur sequi probabiliorem,  
aut tutiorem partem.* L. 12. N. 83.  
*Exponitur sententia benigna.* L. 12.  
N. 83.

P.

*Paradigma de verborum & sententiārum  
S. Scripturæ methodica seu scholastica  
expositiōne.* L. 12. N. 55.

*Paradigma de rerum & factorum S. Scri-  
pturæ methodica seu scholastica exposi-  
tione.* L. 12. N. 57.

*Parænesis ad bæreticos nostri temporis.*  
L. 12. N. 28.

*Patres Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ,  
qui Theologiam libris suis illustrarunt.*  
L. 12. N. 13.

*Patres & Theologi, qui contra bæreses  
scripsierunt.* L. 12. N. 23.

*Patrum Antiquorum veneratio maxima  
semper riguit in Ecclesia.* L. 12. N. 38.

*Patres Ecclesiæ quinam dicantur : quanta  
sit auctoritas eorum circa doctrinam fidei  
& morum.* L. 12. N. 19.

*Patrum doctrina unanimi consensu asserta  
est certa & erroris expers.* L. 12. N. 40.

*Patres, qui contra Arianam hæresin scri-  
pserunt.* L. 12. N. 106.

*Patrum encomia de jucunditate ac utilita-  
te Theologie.* L. 12. N. 135.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. XII. L. 11 Pa-

## Index Rerum

- Patrum varia opinio de parvulis sine baptismo mortuis.* L. 12. N. 86.  
*Paulli Apostoli in Areopago disputantis insigne exemplum.* L. 12. N. 45.  
*Paullus V. prosequitur causam de Auxiliis gratiae a Clemente VIII. incboatam.* L. 12. N. 126.  
*Absoluto examine utrique parti libertas conceditur ad sententiam suam tenendam ac propugnandam.* L. 12. N. 126.  
*Peccati divisio in actuale, habituale, & originale.* L. 12. N. 85.  
*Peccati malitia formalis in quo consistat.* L. 12. N. 85.  
*Peccatum an sit malitiæ simpliciter infinitæ.* L. 12. N. 85.  
*Peccatum originale, & bæreses circa illud.* L. 12. N. 86.  
*Pelagii imago, doctrina, & errores.* L. 12. N. 107.  
*Eiusdem in doctrina inconstantia & fraudes.* L. 12. N. 107.  
*Pelagianæ bæresis synopsis e S. Augustino.* L. 12. N. 107.  
*Concilia habita contra Pelagianos.* L. 12. N. 107.  
*Persecutiones Ecclesiæ a tyrannis excitatae, a Nerone &c.* L. 12. N. 60.  
*S. Petrus fuit constitutus a Christo Pastor Universalis Ecclesiæ.* L. 12. N. 35.  
Petrus

Et Verborum Lib. XII.

- Petrus in docendo Ecclesiam errare non potuit. L. 12. N. 35.
- Oratio Christi efficax pro Petro, ne deficit in fide. L. 12. N. 35.
- Petri Successores legitimi errare non possunt in doctrina fidei & morum, quod e scriptura, Patribus & Conciliis ostenditur. L. 12. N. 36.
- Petavii Theologiae Dogmaticae encomium. L. 12. N. 134.
- Phariseorum vestitus. L. 12. N. 20.
- Philosophorum, praesertim Platonicorum, argutiae & sophismata Ecclesiae nociva. L. 12. N. 42.
- Platonis doctrinæ multi Patrum adhæserunt. L. 12. N. 16.
- Plato doctrinam suam e S. Literis de promissæ visus est. L. 12. N. 16.
- Plazza (Benedictus) S. J. egregium opus edidit, cui titulus: Causa Immaculatae Conceptionis. L. 12. N. 121.
- Polygottæ seu editiones S. Scripturæ in variis linguis: Complutensis, Antverpiensis, Parisiensis. L. 12. N. 50.
- Pontificem in ferendo de fide & moribus judicio infallibilem esse ostenditur. L. 12. N. 35.
- Pontifex considerari potest ut Doctor privatus, & ut Rector publicus. L. 12. N. 35.

## Index Rerum

- Pontifex quando e cathedra loqui censemur.* L. 12. N. 35.
- Pontificis infallibilitas etiam extra Concilium.* L. 12. N. 37.
- Præscriptio, &c' requisita ad illam.* L. 12. N. 98.
- Principes Viri, qui armis & consiliis se opposuerunt sectæ Lutheranæ ac Calvinianæ.* L. 12. N. 117.
- Probabilismus: controversiæ bujus origo: eam fere primi Jansenistæ fuscitarunt.* L. 12. N. 128.
- Nunquam fuisse damnatum ostenditur.* L. 12. N. 127.
- Gravia in illum convitia quorundam.* L. 12. N. 129.
- Probabilismi doctrina non est propria Societati, in qua varii contrariam sententiam docuerunt.* L. 12. N. 130.
- Male exoneratur invidia ab adversariis in Jesuitas.* L. 12. N. 130.
- Probabilem opinionem quando liceat sequi.* L. 12. N. 131.
- Detegitur latens tutiorismus.* L. 12. N. 131.
- Prophetæ theologiam professi sunt, babueruntque discipulos, quos Scriptura Prophetarum filios nominat.* L. 12. N. 19.
- Propositionum variæ censuræ ab Ecclesia usitatæ: Quid propositio hæretica, erro-*  
*neæ;*

*E* Verborum Lib. XII.

- nea, supecta, temeraria, piarum aurium  
offensiva &c. L. 12. N. 9.
- Prosperi elogium de Sede Romana.* L. 12.  
N. 37.
- Providentia, qua Deus semper de viris vi-*  
*ta & doctrina conspicuis Ecclesiae prospic-*  
*tit.* L. 12. N. 38.
- Pulcheriae Augustae Virginis ope bonor B.*  
*V. defensus.* L. 12. N. 109.

*Q.*

- Querelæ bæreticorum falsa, quod tantam*  
*auctoritatem tribuamus Conciliis, quan-*  
*tam S. Scripturae.* L. 12. N. 33.
- Querelæ hominum profanorum adversus*  
*Theologiam.* L. 12. N. 135.
- Querelæ inanes Grammaticorum adversus*  
*Theologiam.* L. 12. N. 136.
- An sermo cultus, vel neglectus sit adbi-*  
*bendus in Theologia: variae Patrum*  
*sententiae conciliantur.* L. 12. N. 136.
- Querelæ ineptæ Criticorum & Novatorum*  
*adversus Theologiam.* L. 12. N. 137.
- Quesnelli Novum Testamentum damnatur*  
*a Clemente XI. per Bullam Unigenitus.*  
L. 12. N. 119.

*R.*

- Rationis vis & potestas in ribus theologi-*  
*cis.* L. 12. N. 41.

## Index Rerum

- Rationis & Auctoritatis divertium male fit in theologia.* L. 12. N. 41.  
*Rationis & Ratiocinationis usum fuisse in theologicis ostenditur per singula eundo secula.* L. 12. N. 43.  
*Rationis abusum duntaxat damnarunt Patres in theologico foro.* L. 12. N. 45.  
*absque Ratiocinatione multa fidei dogmata explicari nequeunt.* L. 12. N. 45.  
*Regulæ de discernenda doctrina mere Theologica* L. 12. N. 4.  
*Regulæ tres ad sanam doctrinam in Theologicis tradendam.* L. 12. N. 10.  
*Regulæ ad discernendas Traditiones.* L. 12.  
N. 28.  
*Regulæ, quibus dignoscuntur decreta Conciliorum circa res fidei & morum.* L. 12.  
N. 33.  
*Regulæ ad S. Scripturam cum fructu legendam.* L. 12. N. 51.  
*Restitutio furto ablatorum: restitutio frumentorum existantium: an detur obligatio restituendi ante sententiam judicis.* L. 12.  
N. 99.  
*Resurreccio corporum.* L. 12. N. 81.  
*Revelationes novæ an dentur post Evangelicam legem.* L. 12. N. 92.

## S.

- Sacramenti definitio & natura.* L. 12. N. 100.  
Sacra-

¶ Verborum Lib. XII.

Sacra menta Veteris & Novi Testamenti.  
L. 12. N. 100.

Hæreses circa Sacra menta. L. 12. N. 100.  
Sacra menta quomodo caussent gratiam.  
L. 12. N. 100.

Discrimen inter Sacra menta. L. 12.  
N. 101.

Sacramentorum Minister, ejus officium,  
& intentio requisita. L. 12. N. 101.

Sacramentum Pænitentia: ejus partes.  
L. 12. N. 102.

Quando fuerit institutum. L. 12. N. 102.  
An merita post pænitentiam, & peccata  
post lapsum reviviscant. L. 12. N. 102.

Sacramentum Euccharistiae: ejus partes:  
quomodo corpus & sanguis Christi po-  
nuntur in Euccharistia. L. 12. N. 103.

Sanbedrin, seu Synedrium, Concilium Ju-  
dæorum. L. 12. N. 33.

Scholæ tres Theologicæ, quibus Heber, Mel-  
chisedech, & Abram præfuerunt. L. 12.  
N. 18.

Scholæ Prophetarum in Naioth Rama-  
thæ, in Bethel, Hierichunti, in Silo,  
in Galgalis. L. 12. N. 18.

Schola Theologica celebris Alexandriæ  
condita: ejusque Professores insignes.  
L. 12. N. 23.

Schola Theologica erecta Cæsareæ. L. 12.  
N. 23.

## Index Rerum

- Scientia media eruta e SS. Literis, & stabilita in scholis.* L. 12. N. 122.  
*Scripturæ Sacræ auctoritas divina est: admittit tamen in consortium auctoritatem Ecclesiæ.* L. 12. N. 26.  
*Tria oportet distinguere in S. Scriptura: res, verba, & stylum.* L. 12. N. 26.  
*Scripturæ Sacræ an singula verba sint a Deo dictata, vel aliqua solum assistente ac dirigente Deo conscripta.* L. 12. N. 26.  
*Scripturæ Sacræ sensus: spiritualis, tropologicus, allegoricus, & anagogicus.* L. 12. N. 26. & 49.  
*Stilus varius librorum S. Scripturæ.* L. 12. N. 26.  
*De argumentis e sensu literali & mystico depromptis.* L. 12. N. 26.  
*Scripturam Sacram existere ostenditur contra Libertinos.* L. 12. N. 47.  
*Scripturæ Sacræ libros aliquos semper impugnarunt hæretici.* L. 12. N. 48.  
*Scripturam Sacram interpretandi suprema potestas est penes Ecclesiam, quæ utitur opera SS. Patrum.* L. 12. N. 49.  
*Scripturam Sacram quinam Patrum præ reliquis optime exposuerint.* L. 12. N. 49.  
*Scriptura Sacra passim tribuit Deo adfectiones humanas; in quo sensu?* L. 12. N. 53.  
*Scripturæ Sacræ contradictiones apparentes &c. conciliantur cum veritate.* L. 12. N. 54  
Scri-

& Verborum Lib. XII.

Scriptores Sacrorum Librorum ordine re-  
censentur singuli. L. 12. N. 46.

Scriptores, qui commentati sunt in S. Scri-  
pturam, enumerantur triplici classe.  
L. 12. L. 59.

Scriptores celebriores de Theologia Polemi-  
ca, tum antiquioris, tum recentioris  
ævi. L. 12. N. 63. & 117.

Scriptores, qui Canones Pænitentiales, &  
Summam Casuum Conscientiæ ediderunt.  
L. 12. N. 64.

Scriptores recentiores de Theologia Morali.  
L. 12. N. 68.

Scriptores Antiquiores & Recentiores, qui  
Theologiam Scholasticam vel universam,  
vel magnam illius partem in lucem dede-  
runt. L. 12. N. 104.

Sectæ Judæorum: Pharisei, Sadducæi, Esse-  
ni, Herodiani. L. 12. N. 20.

Variæ barum doctrinæ circa providen-  
tiam Dei, immortalitatem animæ,  
anastasim corporum, legum observatio-  
nem &c. L. 12. N. 20.

Sedis Apostolicæ auctoritas. L. 12. N. 34.

Semipelagiani seu Massilienses: origo hujus  
hæresis: varii eorum errores. L. 12. N. 108.

Hæresis hujus domitores Augustinus &  
Prosper. L. 12. N. 108.

Semipelagianorum fraudibus olim multi viri  
docti fuerunt decepti: nunc alii mala fide

## Index Rerum

- Semipelagianismi arguuntur.* L. 12. N. 108.  
*Sensus literalis S. Scripturæ qua ratione de-  
prehendi possit: adjumenta ad eum eruendū.* L. 12. N. 52.
- Serri (Hiacyntbi) O. P. bistoria de Auxiliis gratiæ.* L. 12. N. 126.
- Sixti V. insignis commendatio Theologiæ  
Scholasticæ.* L. 12. N. 44.
- Speculationi nimium in Theologia dantes er-  
rant.* L. 12. N. 132.
- Spe in natura & objectum formale.* L. 12. N. 95.
- Spiritus privatus est Spiritus malus.* L. 12.  
N. 93.
- Spiritus S. processio.* L. 12. N. 113.
- Spiridion Episcopus reprobendit Tripbillium  
de affectato cultu sermonis in rebus fidei.* L. 12. N. 136.
- Societatis doctrina circa gratiam conformis  
est menti S. Fundatoris Ignatii.* L. 12.  
N. 123.
- Sopbronius Monothelitis strenue se opponit.* L. 12. N. 111.
- Stancari Acatolici testimonium bonorissi-  
centissimum, quod Petro Lombardo præ-  
buit.* L. 12. N. 135.
- Symbolum S. Athanastii.* L. 12. N. 106.
- Synagogæ Judeorum Hierosolymis ultra  
trecentas.* L. 12. N. 19.
- Synagoga maxima centum & viginti Pa-  
trum sub Esdra.* L. 12. N. 19.  
Metbo-

¶ Verborum Lib. XII.

*Methodus docendi & discendi in Synagogis.* L. 12. N. 19.

*Synichii calumniæ adversus probabilismum, & doctrinam Jesuiticam.* L. 12. N. 128.

*Synopsis Theologiae a Christo traditæ.* L. 12. N. 21.

*Synopsis materialium, quæ in Theologia Polemica tractantur.* L. 12. N. 61.

*Synopsis Chronologica sacrorum librorum.* L. 12. N. 47.

*Synopsis Theologiae Moralis.* L. 12. N. 65.

*Synopsis Theologiae Positivæ.* L. 12. N. 46. & seqq.

*Synopsis Theologiae Scholasticæ.* L. 12. N. 69. & seqq.

T.

*Theologia vastissima scientia est, ad quam pertinet notitia S. Scripturæ, Conciliorum, Canonum, Patrum & historiæ Ecclesiastice.* L. 12. N. 1.

*Theologiae etymologia.* L. 12. N. 2.

*Theologia quid late, quid stricte accepta sit.* L. 12. N. 2.

*Theologiae fundamentum ac principium.* L. 12. N. 3.

*Theologia eminent inter omnes scientias: ejus objectum & modus* L. 12. N. 5.

*Theologiae Symbolum Aquila.* L. 12. N. 5.

*Ejus necessitas* L. 12. N. 6.

*Theo-*

## Index Rerum

- Theologia est revelationum & veritatum  
supernaturalium custos.* L. 12. N. 6.  
*Est necessaria ad gignendam, nutriendam,  
& defendendam fidem, quod exemplis  
illustratur.* L. 12. N. 6.  
*Est necessaria toti Ecclesiae, quamvis non  
singulis membris.* L. 12. N. 6.  
*Theologie utilitas.* L. 12. N. 7.  
*Theologia vetus, & recentior.* L. 12. N. 7.  
*Theologi ideo providente nunquam defuerunt  
nec in lege naturae, nec in Mosaica, nec  
in lege gratiae.* L. 12. N. 7.  
*Theologie multiplex divisio.* L. 12. N. 11.  
*Theologie multiplicis brevissima synopsis.*  
L. 12. N. 12.  
*Theologia tum naturalis tum supernatura-  
lis Adamo fuit infusa a Deo.* L. 12. N. 13.  
*Theologia propagata per posteros Adami,  
Setbum, Enochum, & Noemum.* L. 12.  
N. 13.  
*Theologia per idolatriam vix non extin-  
cta ab Abraham, & Mose resuscitatur  
in populo Dei.* L. 12. N. 13.  
*Theologiam Christus Dominus verbo &  
exemplo docuit, & per Apostolos late  
diffudit.* L. 12. N. 13.  
*Theologia per Petrum Lombardum, & D.  
Thomam in methodum certam redacta  
fuit.* L. 12. N. 13.  
*Theologia naturalis mundo nascenti coeva:  
triplex*

¶ Verborum Lib. XII.

- triplex illius classis: *Poetica*, *Physica* &  
*politica*. L. 12. N. 14. 15. & 16.
- Theologia supernaturalis*. L. 12. N. 17.
- Profana in posteris Cain*, seu *filiis homi-*  
*nūm*, *sacra in posteris Seth*, seu *filiis*  
*Dei*. L. 12. N. 17.
- Theologia in Noemo & posteris servata*.  
L. 12. N. 17.
- Latius dominari cœpit sub Abrabamo*  
& *Mose*. L. 12. N. 18.
- Theologiæ incrementum constitutis Scribis,*  
& *Legisperitis apud Judæos*. L. 12. N. 19.
- Theologiæ supernaturalis Auctor & Condi-*  
*tor Christus*. L. 12. N. 21.
- Theologiæ Scholasticae methodus introduc̄ta*  
in Orientē & Occidente. L. 12. N. 24.
- Theologia quando ad summum apicem per-*  
venerit. L. 12. N. 25.
- Theologi celebriores*. L. 12. N. 25.
- Theologiæ duæ columnæ ac basēs: auctorita-*  
tas & ratio. L. 12. N. 26.
- Theologia positiva solis fidei principiis inni-*  
titur. L. 12. N. 46.
- Cura Concilii Tridentini de Theologia*  
positiva publicis in scholis tradenda.  
L. 12. N. 46.
- Theologiæ positivæ divisio in Oeconomicam,*  
*Canonicam seu Præceptivam, & Metho-*  
*diam*. L. 12. N. 46.
- Theo-

## Index Rerum

- Theologia Polemica: materiae, quae in ea tractantur.* L. 12. N. 61. & seqq.  
*Theologiae Moralis origo.* L. 12. N. 64.  
Doctrina morum, & conscientiarum regimen penes quos fuerit, & sit. L. 12. N. 64.  
*Theologia moralis: materiae, quae in ea tractantur.* L. 12. N. 65.  
*Theologiae Scholasticae origo & nomen.* L. 12. N. 69.  
*Theologia Scholastica est vere Theologia Evangelica: Materiae, quae in illa tractantur.* L. 12. N. 70. & seqq.  
*Theologia historica, seu Controversiae celebriores Theologorum partim cum haereticis, partim inter se ipsos.* L. 12. N. 105. & seqq.  
*Theologia Dogmatica: Dissertation in utramque partem.* L. 12. N. 133.  
*Theologia Scholastica & Dogmatica inter se conciliantur.* L. 12. N. 134.  
*Theologiae neglectus in Ecclesiasticis reprehenditur.* L. 12. N. 137.  
*Theodosius Imp. favet Nestorianis.* L. 12. N. 109.  
*D. Thomas Theologiam ad supremum dignitatis gradum extulit.* L. 12. N. 25.  
*Traditionis auctoritas in Ecclesia.* L. 12. N. 27.  
*Traditiones negare omnium fere haereticorum mos fuit.* L. 12. N. 27.  
Tra-

& Verborum Lib. XII.

*Traditionis definitio, & divisio in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam.*

L. 12. N. 27.

*Ecclesiastica dividitur in universalem & singularem: in perpetuam, temporariam, & necessariam.* L. 12. N. 27.

*Traditiones fuerunt observatae tum in lege naturae, tum in lege scripta, tum in lege gratiae.* L. 12. N. 27.

*Transsubstantiatio, in quo consistat.* L. 12. N. 103.

*Trenodia S. Andreae Cretensis.* L. 12. N. 120.  
*Trinitas, & baereses circa illam exortae.*

L. 12. N. 73.

*Personae divinae: earum distinctio: Processiones, Relationes, ac Notiones.*

L. 12. N. 74.

*Typicus S. Sabae.* L. 12. N. 120.

V.

*Verba haec: Sancta Maria, Mater Dei, addita salutationi Angelicae in Concilio Ephesino contra Nestorianos.* L. 12. N. 109.

*Virи praestantes, qui Lutheranae ac Calviniane baeresi se opposuerunt.* L. 12. N. 117.

*Virtus Theologica quid sit.* L. 12. N. 92.

*Visio Dei an alicui in hac vita mortali obtigerit.* L. 12. N. 81.

*ad Visionem Dei an statim post mortem anima justorum admittantur.* L. 12. N. 81.

*Visio*

## *Index Rerum & Verb. Lib. XII.*

- Visio beatifica an sit in omnibus æqualis.* L. 12. N. 81.  
*Unio hypostatica, & communicatio idiomatum.* L. 12. N. 77.  
*Voluntarium & liberum.* L. 12. N. 82.  
*Usura, ubi de mutuo.* L. 12. N. 99.  
*Vulgata editio S. Scripturæ sola est authentica.* L. 12. N. 50.

## *W.*

- Wendrochii caluniae adversus probabilissimum, & doctrinam moralem Jesuicam.* L. 12. N. 128.  
*Wicleffus, ejusque prava dogmata in Anglia.* L. 12. N. 114.  
*Damnatur in Concilio Constantiensi; ejus cadaver combustum.* L. 12. N. 114.  
*Wilbelmus Cantuariensis Episcopus Wicleffo strenue se opponit.* L. 12. N. 114.  
*Wittenbergensium petulans facinus circa libros Theologicos.* L. 12. N. 7.



